Bibliothecae Secretae Coll. Rom. Soc. Jes.

ANNVLVS MATRI-VIRGINALIS.

OPVSCVLVM QVINQVE TRACTATVLORVM.

QVO EX LACTEA EDVCATIONE SALuatoris, Sanctiſſima Virgo Deipara, non dimidiata, neque partita, aut diuiſa; ſed integra, & perfecta, eiuſdem beatiſſimi Redemptoris Mater oſtenditur, ſummáque & integra eius Maternitas, peculiaribus fidelium votis, maximè in ſuauiſſimo lacteæ educationis Chriſti myſterio, veneranda proponitur.

Per FR. DAMIANVM PERROTTEVM *Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, Prouinciæ ſanctæ Magdalenæ in Gallia Concionatorem.*

PARISIIS,
Apud EDMVNDVM COVTEROT, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Boni Paſtoris, & Bibliorum Aureorum.

M. DC. LIV.

CVM APPROBATIONE DOCTORVM.

Digitized by Google

AVCTORIS SVBMISSIO.

SACRO-SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ ROMANÆ VERÆ, Immaculatæ, Vnicæ, Catholicæ, Apoſtolicæ, ſoliúſque ſalutiferæ CHRISTI IESV Redemptoris Sponſæ, Cuius eſt in terris omnis ſententiæ principatum tenere: Iudicio & menti, ſententiæ, Decretis, & Cenſuræ, omnia quæ in hoc Opuſculo ſcripta continentur, in omni humilitate ſuppono, ſubmitto, ſubdo, ſubiicio, ſimulque, & meipſum totum in clientelam commendo.

Digitized by Google

ECCLESIASTICI COELI
SOLI SPLENDIDIDISSIMO.

Dignorum Pontificum, Præſuli digniſſimo.
Illuſtrium Patriarcharum, Epiſcopo illuſtriſſimo.

Epiſcoporum omnium, cunctorúmque Eccleſiæ ſanctæ Dei Sacerdotum, Principi nobiliſſimo.

Ieſu Chriſti Redemptoris viſibilis corporis myſtici viſibili capiti ſummo.

Vniuerſæ Reipublicæ, Religionis Catholicæ, Gubernatori ſapientiſſimo.

Regum, Imperatorum, ac Principum Chriſtianorum, omniúmque fidelium Catholicorum, Patri ſanctiſſimo.

Ducentorum triginta octo Summorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificum, ex quibus triginta duo Martyres, & triginta ſeptem Confeſſores, in ſanctorum Catalogum ſunt relati, ſucceſſori meritiſſimo.

Digitized by Google

Domino noſtro beatiſſimo,

INNOCENTIO DECIMO,

PAPÆ OPTIMO,

in humillimis pedum oſculis,

P. F. P.

IN altis habitans ſanctitas veſtra (BEATISSIMÆ PATER) humilia reſpicit, & in ſublimi apud mortales, gloriæ Chriſti throno collocata, omnia ſibi ſubdita; Omnia, inquam, ſub beatis pedibus ſuis, à Chriſto ipſo ſubiecta conſpiciens, tantæ celſitudinis vndique radiante fulgore, mũdum hunc inferiorem noſtrum, ſalutaribus non ceſſat illuſtrare ſplendoribus; hoc eſt, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiis, ac fauoribus exornare.

Pauperculus ergo iſte, è nidulo exiguitatis ſuæ egrediens, audet quidem in altum oculos eleuare, ſed ne à tanta gloria obruatur, à ſummis ſtatim ad ima demiſſus, in humillimis beatorum pedum oſculis, ad fontem omnis benedictionis recurrens, pro paterna & apoſtolica benedictione, benigniſſimo exoptat beatitudinis ſanctiſſimæ aſpectu intueri, in cauſa Eccleſiæ publica audiri, & pro eiuſdem communi bono exaudiri.

Jtaque, licet ſim cinis & puluis, in ipſa tamen exi-

Digitized by Google

litatis humilitate, loquar ad Dominum meum summum, audiamque quid loquatur ad me, quoniam certissimè loquetur pacem in plebem suam, vt inhabitet gloria in terra nostra. Etenim ad hoc Sanctitatem Vestram, in tantis dierum nostrorum ærumnis, nobis à Deo expressè datam credimus, vt in diebus vestris, Deus ipse expugnet impugnantes nos, gentes dissipet quæ bella volunt, conterat fortitudinem inimicorum nostrorum, & dispergat illos. Subiiciat in Christo populos vobis, & gentes sub pedibus vestris. Domineturque in ipso sancta Sedes Apostolica à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, vt sicut vnus est Deus, vna fides, vnumque baptisma, ita sit vnus Pater omnium, & vnius ouilis summus vnus habeatur pastor.

Dignetur ergo Sanctitas vestra, Opusculum hoc quinque Tractatuum, in honorem summæ & integræ Maternitatis sanctissimæ Virginis genitricis Dei Mariæ compositum acceptare; pro rationali namque mysteriorum, quę in tanta, tantæ dignitatis, & prerogatiuæ excellentia continentur, beatitudinis vestræ summę dignitati offertur. Ad hoc maximè, vt pro pace inter summos Principes Christianos, à Deo, meritis eiusdem Virginis beatissimæ obtinenda, & impetranda, ac infestissimo Christiatatis hoste Turcarum Imperatore debellando, festum in honorem summæ Maternitatis prędictę, Sanctitas vestra Summorum Pontificum prędecessorum suorum vestigiis inhærendo, instituere, & de eo, vel saltem in Ordine Minorum, Officium fiat, concedere dignetur.

Sic enim olim pro publica Ecclesiæ causa, Vrbanus Quartus festum Visitationis eiusdem Virginis Deiparæ instituit. Sic item Innocentius IV. festum Natiuitatis eiusdem celebrari

Digitized by Google

mandauit. Sic Calixtus Tertius festum Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi, cuius Officium ipse composuit, singulari honore celebrandum Ecclesiæ dedit. Sic, inquam, similia, in similibus periculis, & Romanis Pontificibus remedia, eidem Ecclesiæ sanctæ Dei, & populo Christiano afferri consueuere.

Licet autem varia eiusdem Virginis sanctissimæ Mysteriorum festa celebrentur; nullum tamen in honorem summæ & integræ Maternitatis eius huc vsque institutum habemus.

Hoc, Beatissime Pater, *à sanctitate vestra expectatur, hoc summis fidelium votis, à vestra beatitudine expetitur, hoc denique Innocentij decimi summi Patris, Pontificis, ac Domini nostri, à Deo, summæ pietati instituendum reseruatum credimus.*

Quomodo verò, non partita, neque diuisa, aut dimidiata; sed integra, & perfecta in Virgine Deipara, summa ipsa Maternitas veneranda sit, quave ad eius integritatem requirantur, & in quo omnium Redemptionis nostræ sacramentorum peculiari mysterio, à fidelibus reuerenda veniat, amplissimè toto hoc Opusculo declaratur, cui & fœlix initium, & fœliciorem viri Theologici vrbis dedere profectum.

Cum enim essem Romæ, An. 1637. & Superioribus meis conceptum mentis aperuissem, ipsorum concilio & assensu, Viris Theologicis vrbis, has propositiones resoluendas, his verbis proposui.

Digitized by Google

SVPPLICANTVR HVMILLIME ſapientiſſimi Magiſtri in ſacra Theologia Doctores, & Lectores, huius almæ Vrbis Romę, quatenus, num, in infra ſeptem Propoſitionibus, aliquid contra Fidem aut Pietatem Catholicam contineatur, declarare dignentur.

PRIMO.

An venerandas Virginis Deiparæ Imagines, Virgineum Christi Domini Saluatoris lactatum referentes, honorare, & venerari, eaſdémque, in Eccleſiis, ac Oratoriis deuoté collocare liceat.

SECVNDO.

An item liceat, ſacratiſſima vbera eiuſdem Deiparæ Virginis, quibus Verbum ipſum propter nos caro factum lactauit, ſingulari quoque veneratione honorare, & eorum virtutem, ac efficaciam, apud eundem dulciſſimum Filium ſuum Ieſum Redemptorem, implorare.

TERTIO.

Num deceat pietatem fidelium, erga ſuauiſſimum lacteæ educationis eiuſdem beatiſſimi Saluatoris myſterium, peculiari affici deuotione.

QVAR-

QVARTO.

Num eandem deceat fidelium pietatem, Virginem ipſam Deiparam, Nutricem Dei, ſicut & Matrem appellare, etiam & eiuſdem Gubernatricem nominare, quod, quem de Spiritu ſancto Virgo ante partum concepit, Virgoque in partu peperit, Sola, vbere de cœlo pleno, Virgo poſt partum, lactarit, ac eundem toto beatiſsimæ infantiæ tempore educarit, & gubernarit Dominum Redemptorem.

QVINTO.

An iterum, liceat in Virgine ipſa Deipara, has quatuor ſummæ & integræ, ac perfectiſsimæ Maternitatis eius prærogatiuas, Matris videlicet, Nutricis, Gubernatricisque Dei, ac Virginis perpetuæ ſingulari pariter honore venerari, & vnumquamque illarum Angelicæ ſalutationis recitatione recolere.

SEXTO.

Num ad imitationem Sanctorum, qui pręcipua ſalutis noſtræ myſteria in Roſario, vitæ quoque Chriſti tempora, in Corona Camaldunenſi, vitæ item eiuſdem Deiparæ annos, in alia, quæ de Virgine vulgo appellatur, annotauere meditanda, quatuor prærogatiuas pręedictas, quatuor Roſarij granulis, & præfatum lacteæ educationis Saluatoris myſterium, Cruce paruula, pari pietate in coronula annotare liceat.

SEPTIMO.

An tandem liceat de omnibus myſteriis prædictis, tum ſacrę Scripturæ teſtimonia, tum ſanctorum Patrum, & aliorum Ca-

tholicæ Religionis Doctorum, sententias scriptis colligere ac Coronulam exindè, Matri-Virginalem appellatam sequenti benedictione, de Prælatorum licentia benedicere.

BENEDICTIO ANNVLI MATRI-VIRGINALIS.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & vsque in sæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMVS.

D*Omine* IESV CHRISTE *Deus Omnipotens, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendisti de Cœlis, & incarnatus es de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus es: Quique tunc, vt ait Isaias Propheta, factus es corona gloriæ & sertum exultationis residuo populi tui, induens hominem vestimentis salutis, sicut sponsum decoratum Corona, & sicut sponsam ornatam monilibus suis: extende manum tuam super Coronulam hanc deuotionis nostræ quam in tuo nomine benedicimus † propter gaudium & exultationem huius tanti mysterij, quando Deus & homo ex vtero virginali eiusdem sanctissimæ Virginis genitricis tuæ Mariæ,*

Digitized by Google

tam mirabiliter, ac ineffabiliter prodiisti, & quando ex eius Virginalium vberum, qui das escam omni carni, Virgineo lacte nutriri, ab eaque toto tempore beatissimæ infantiæ tuæ educari, & gubernari voluisti: & præsta: vt qui hac Sacrosancta Redemptionis nostræ mysteria, hoc exteriori signo, deuotè veneramur in terris, eorum fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Qui cum Deo Patre, in vnitate eiusdem Spiritus sancti, viuis & regnas in sęcula sæculorum.

AMEN.

Aspergatur aqua benedicta.

Omnibus itaque & singulis Propositionibus his examinatis, sic respondere Doctores.

HÆ septem Propositiones, nihil continent fidei, aut pietati Catholicæ contrarium. Quod in quarta habetur de appellatione Nutricis Dei, ita intelligit eius auctor, vt scilicet appelletur simul Mater & Nutrix Dei, &c. Nam nomen Nutricis seorsim positum apud Latinos auctores, vsurpari solet de iis quę lactauerunt, sed non genuerunt, sicut sanctus Iosephus Nutritius appellatur, vt significetur illum non esse Patrem. Mulieres etiam quæ minimè lactauerunt prolem quam genuerunt, apud Philosophos quosdam, non integræ, sed dimidiatę matres censeri solent. Vt ergo Virgo Deipara, non dimidiata sed integra & perfecta Mater Dei in Coronula veneretur, Mater

ſimul & nutrix appelletur. Benedictio autem Coronulæ pia eſt, & Catholica, ac ſacris Eccleſiæ ritibus conformis.

Ita cenſeo: Saluox. In Collegio Romano Societatis Ieſu. Hac die 3. menſis Ianuarij anni 1637.

Ioannes de Lugo, Ita cenſeo & ego. Hac die 3. Januar. 1637.

Frater Antonius Cellius, ſanctæ Theologię Magiſter, & in almo vrbis Gymnaſio ſanctæ Mariæ ſupra Mineruam primus Lector, ac reuerendiſſimi ſacri Palatij Apoſtolici Magiſtri nuper ſocius. Ita quoque & ego.

Redolent enim omnia ſingularem in ſanctam Dei genitricem pietatem. Die 3. Ian. anni 1637. Frater Antonius Blondus à ſancto Seuerino. Sanctæ Theologiæ Magiſter, & Collegij Romani ſancti Bonauenturæ, regens, ac Rector.

Firmiſſimis taniorum virorum ſententiis munitus, ad propria redij: Et cum nonnulla de prænominatis myſteriis præparaſſem, quinque Tractatulos Theologicos compoſui. Coronulamque Matri Virginalem, quâ præſertim ſuauiſſimo lacteæ educationis Saluatoris myſterio, ſummam & integram Virginis Deiparæ Maternitatem venerabar, mihi aſſumpſi. Sed & Officium ac Miſſam, de eadem, Virginis Deiparæ ſumma & integra Maternitate, ex ſacra Scriptura, & ſanctis Patribus collegi, & ad formam ſacrorum ſanctę Romanæ Eccleſiæ Rituum, omnia quæ exceperam redegi, ac Reuerendiſſimo totius Ordinis Minorum ſancti Patris noſtri Franciſci Generali miniſtro Ioanni à Neapoli, legenda, & examinanda præſentaui. Eiuſque animum ſuper hoc negotio conſului.

Doctiſſimus, ac peritiſſimus vir, à Sanctitate Veſtra, ob eius meritorum excellentiam, ex Catholici Regis ſuffragio ad

Digitized by Google

Archiepiscopatum Valentiæ in Hispaniis nominatis, de hac re ita mentem mihi aperire dignatus est.

Laudo tuum erga Virginem Deiparam peculiarem affectum, deuotionem, & zelum; nec possum quin gratos habeam tuos labores; Deuotissimi enim sunt omnia quæ parasti de mysteriis eiusdem beatę Virginis: quare, ministrum tuum Prouincialem monuimus, vt dei fauorem ad euulgationem tam piorum studiorum, tantæque pietatis erga sanctissimam Dei genitricem; quod si renuerit, tenore pręsentium nostram præsentiam adibis, & tunc ambo conferemus quomodo exequi possint desideria pietatis tuę, &c.

Cum ergo eius pręsentiam adire destinarem, è viuis decessit, in cuius locum, cum Reuerendissimus Daniel Adungo successisset mihi obedientiam, qua Romam adire, & Capitulo generali interesse, Patrésque Ordinis de tanto negotio consulere, & consultare possem libentissimè concessit; quo cùm peruenissem, Reurendissimus Petrus Manero, nunc totius Ordinis Minister Generalis suo, & totius Ordinis nomine per Procuratorem Generalem Curię officium prædictum cum Missa, sacræ sacrorum rituum Congregationi præsentari iussit, & obedientiam de Opusculo hoc nostro, quod Annulus seu Coronula Matri-Virginalis intitulatur, typis mandando, mihi dedit. Quod & vestrę beatitudini dicari voluit.

Itaque ad pedes beatissimos Sanctitatis vestrę nunc, post 43. annos in ordine Seraphico transactos ex quibus 35. in continuis Euangelicæ prędicationis exercitiis, & maximè aduersus hæreticos huius regni Galliæ fœliciter consumpsi velut ad fontem omnium benedictionum & gratiarum accurrens, pro pace Christianitatis à Deo meritis dignissimæ genetricis eius Mariæ Vir-

Digitized by Google

ginis obtinenda, & impetranda propositi institutionem aperio: quatenus dignetur Sanctitas vestra festum prenominatum instituere, Officium & Missam examinari mandare, & saltem vt in Ordine Minorum celebretur concedere, ac Coronulam Matri-Virginalem deuotè recitantibus, Thesaurum Indulgentiarum de benignitate Apostolica aperire.

Interuum, beatitudinem Vestram, vt cum sancto Leone loquar, quam Deus, ad ostendendas diuitias gratię suę, nostris temporibus Ecclesiæ voluit præsidere, sufficientem tanto operi, & vtilem nostræ defensioni dignetur efficere, vt proficiat nostræ deuotioni, quod vestræ fuerit largitus ætati. Vnde nobis detur, vobis largiri dignetur. Det vobis virtutem qui contulit dignitatem. Sit administrationis adiutor, qui bonoris est auctor. Et quem nobis dignatio cælestis gratię genuit antistitem, optatę fœlicitatis, Christianæque pacis expectatæ, exoptatum diu, expetitúmque largiatur largitorem.

Digitized by Google

REVERENDISSIMI PATRIS IOANNIS à Neapoli, totius Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Miniſtri Generalis Licentia & Approbatio.

Patri Fratri DAMIANO PERROTTEO Prouinciæ ſanctæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia Concionatori, ſalutem.

LAudo tuum erga Virginem Deiparam peculiarem affectum, deuotionem, & zelum, nec poſſum quin gratos habeam tuos labores: Deuotiſſima enim ſunt omnia quæ paraſti de myſteriis eiuſdem beatiſſimę Virginis, quare Miniſtrum Prouincialem monuimus, vt det fauorem ad euulgationem tam piorum ſtudiorum. Datum Neapoli, die 8. Ianuarij 1647.

REVERENDISS. PATRIS PETRI MANERO, totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſtri Generalis, Succeſſoris Ioannis à Neapoli, obedientia.

Venerabili Patri Fratri Damiano Perrotteo Sacerdoti Pio, Concionatori eximio, & Confeſſario Prouinciæ noſtræ ſanctæ Magdalenę Recollectorum in Gallia, ſalutem in Domino ſempiternam.

NOſtra auctoritate, & virtute pręſentis obedientiæ poteris, ſeruatis ſacroſancti Concilij Tridentini decretis, Opuſculum nobis gratiſſimum, à te, in honorem ſummæ & integræ Maternitatis ſanctiſſimæ Virginis Genitricis Dei

Digitized by Google

Mariæ compositum, quod, ANNVLVS MATRI-VIRGINALIS intitulatur, typis mandare, &c. Datum Romæ hac die mensis Iunij 24. anni 1651.

LICENTIA ET APPROBATIO Reuerendi Patris Prouincialis.

FRATER ROMANVS CVPIF, Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum, Prouinciæ sanctæ Magdalenæ humilis Minister Prouincialis, & seruus dilecto, nobis plurimum in Christo venerabili Patri DAMIANO PIRROTEO, eiusdem instituti, & Prouinciæ Sacerdoti, Concionatori, & Confessario, salutem.

Cum ex obedientialibus litteris Reuerendissimi Patris Ministri nostri totius Ordinis Generalis Petri Manero & prædecessoris eius Ioannis à Neapoli, Opusculum quod *Annulus Matri-Virginalis* intitulatur, typis tibi mandare liceat, illi quoque & nostrum libentissimè assensum præbuimus. Datum Turonis hac die 8. Decemb. an. 1652.

APPROBATIO DOCTORVM Parisiensium.

EGo infrascriptus Doctor Theologus Almæ Facultatis Parisiensis, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Nannetensis, & in eadem vrbe Rector Ecclesiæ sanctæ Crucis, legi librum qui inscribitur *Annulus Matri-Virginalis, &c.* in illo nihil reperi contrarium Fidei Catholicæ sacris Canonibus ac Conciliis, morúmque probitati; imo multa, ad laudem Deiparæ Virginis, & augendam in fidelium cordibus

bus pietatem valde vtilia, quare, illum prælo dignum iu-
dicaui. Datum Nannetis hac die 23. Octob. 1652.

T. Covpperie Doctor Pariſienſis,
& Canonicus Nannetenſis.

EGo quoque pari ſenſu ſubſcripſi.

I. Viandot Doctor Pariſienſis,
hac die menſis Decemb. 1652.

Digitized by Google

INDEX

CAPITVM QVÆ IN HOC ANNVLO MATRI-VIRGINALI continentur.

TRACTATVLVS II.

TRACTATVLVS III.

TRACTATVLVS IV.

IN quo de variis ac plurimis miraculis, quibus erga suauissimum lacteæ educationis salutaris mysterium, & sacratissima sanctissimæ

Digitized by Google

TRACTATVLVS V.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

ANNVLVS
MATRI-VIRGINALIS.

TRACTATVLVS PRIMVS.

DE Quatuor præcipuis, summæ, & integræ Maternitatis sanctissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, prærogatiuis, Matris videlicet, Nutricisque, & Gubernatricis Dei, ac Virginis perpetuæ; Quibus: Non dimidiata, neque partita, aut diuisa; sed integra, & perfecta eiusdem Dei, & Domini nostri Iesu Christi Mater ostenditur, ac tantæ Maternitatis dignitas, in suauissimo maximè, eiusdem beatissimi Saluatoris lacteæ educationis mysterio, proponitur veneranda.

AD

AD TRACTATVLI COMMENDATIONEM TOTIVSQVE OPERIS NVDAM, claramque & veram intelligentiam.

PRÆFATIVNCVLA.

Solent, apud Philosophos, non integræ sed dimidiatæ Matres censeri mulieres, quæ prolem quam genuerunt, minimè lactauerunt. Vnde Phauorinus Philosophus, cùm cuiusdam Senatoris vxorem, ex familia nobiliori, auditorisque & sectatoris sui, & puerperio laborantem inuisisset, vidissetque vbera lacte fluentia, & audisset tunc fœminam alteram dissuadentem ne filium lactaret, sed potius alteri nutriendum traderet; Oro te, inquit, Mulier, sine illam integram esse Matrem Fily sui. Phauorinus Philosoph⁹ apud Aulium Gellium 12. Noct. Attic. c. 1.

Exindè, Seraphicus Doctor sanctus Bonauentura super illud Lucæ 11. Beatus venter qui te portauit & vbera quam suxisti: *Ideo ait, iunxit ista duo, vt ostenderetur Virgo Maria fuisse Mater Christi vera & perfecta, quia non solum genuit, sed & educauit, &c.* S. Bonau. Com. in c. 11. Luc.

Cùm ergo ad filiorum Regum, & Principum huius sæculi educationem, à propria Matre, aliæ soleant sæpè mulieres assumi, secunda videlicet, quæ nutrix seu lactatrix, vocatur. Tertia item, quæ Gubernatrix appellatur, dimidiatæ plurimæ Matres,

Digitized by Google

diuisæ & partita inueniuntur, rarò verò integra vna & perfecta reperitur.

At, Virgo Deipara cùm, sola vbere de Cœlo pleno, eundem quem de Spiritu sancto Virgo ante partum concepit, Virgoque in partu peperit, Virgo post partum permanens, lactarit, gubernaritque redemptorem, non dimidiata, neque partita, aut diuisa, sed verè, integra, & perfecta eius Mater asseritur: ac meritò à fidelibus, in vniuersa Ecclesia eius summa & integra Maternitas, summis ac peculiaribus votis veneratur.

Cùm autem Patrem iam haberet in æternitate sine Matre, qui eam in Matrem assumebat in tempore sine Patre, opportuit illam Virginem extitisse, eandemque decuit ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi. Ergo, sancta & immaculata Virginitas, ad tantæ Maternitatis perfectionem & integritatem requirebatur, quod Propheta prædixerat dicens; Ecce Virgo concipiet & pariet filium, &c. *Vnde huic benedictæ Virgini iucundissimè ita congratulatur Ecclesia;* Gaudia Matris habens, cum Virginitatis honore; nec primam similem visa es, nec habere sequentem.

Genes. 1. *Fluuius itaque summæ & integræ Maternitatis sanctissimæ Virginis, aptissimè in hæc quatuor Capita diuiditur, Matris, videlicet, Nutricis, Gubernatricisque Dei, & Virginis perpetuæ.*

Fluuio isto Matri-Virginali vniuersa facies Ecclesiæ irrigatur, infœlixque inter Catholicos Christianos reputandus est, qui siccam & aridam, animæ suæ terram secùs decursus aquarum tantarum retinet.

De Cisterna hac Matri-Virginea, Ego villissimus peccatorum, & fluenta putei huius aquarum viuentium, ab ipsis incunabulis specialissima Omnipotentis Dei mei erga me bonitate & clementia, bibi, & iuxta sapientis Consilium, fontes nunc foras deriuo, ac in plateis aquas diuido; dùm summam hanc, sanctamque, integram & perfectam Virginis Deiparæ Maternitatem toto hoc Opusculo, cunctis venerandam, ac præcipuis fidelium votis colendam, celebrandamque propono: Tractatulus igitur iste primus de quatuor his prædictis Virginis Deiparæ Maternitatis prærogatiuis erit.

Alieni autem, iuxta eiusdem sapientis sententiam; id est, fri-

Digitized by Google

gidi, indeuoti, ac impij abſcedant, nec ſint participes mecum accedant fideles, deuoti, ac in Virginem ipſam ſacram ſingulari pietate flagrantes, haurient ipſi aquas ſalutis in gaudio, de lacteis fontibus integræ Matris Saluatoris.

Iſti inebriabuntur electi ab vbertate iſtius benedictæ Domus Dei, & lacteo torrente voluptatis eius potati, in craſſitudine animæ illorum delectabitur.

Tales ambio huius Opuſculi Defenſores, & maximè Tractatuli huius Lectores, vt læto vultu, ac beneuolo animo, inſtituti rationem excipiant. Grati ſanè ſaporis res eſt, iis, qui marianam ſapiunt pietatem, quæ in Opuſculo pertractatur. Quòd ſi ſimplici ſermone, rudique, ac ineleganti, & impolito ſtilo deſcribatur, crudumque propterea nimis, & immaturum videatur, pietatis tuæ in Matrem Dei (Piiſſimè Lector) *feruore concoquatur.*

DE MIRABILI ET SVMMA, MATRIS DEI *prærogatiua, qua Virgo Sanctiſſima, eiuſdem Mater extitit in tempore ſine Patre, cuius Deus eſt Pater in æternitate ſine Matre.*

CAPVT PRIMVM.

EX quo propter nos homines & propter noſtram ſalutem, æternum ipſum æterni Patris Verbum, matrem dignatus eſt habere in tempore ſine Patre, qui Patrem habebat in æternitate ſine Matre, non eſt quod me magis delectet, ſed nec eſt, quod me terreat magis, quàm de ſumma ipſa, ipſius Matris verbi Maternitatis prærogatiua habere ſermonem: de eius namque excellentia, nec ſilere deuotio patitur; immò animum addit ipſa-

met in diuam Virginem animi pietas, sed nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut in erudita potest locutio parturire.

Excedit enim & multum supereminet omnem humani eloquij facultatem, humanæque mentis captum, diuini in ea operis magnitudo.

Attamen cùm in tanto tantæ dignitatis enarrando Sacramento, numquam deficiente materia laudis, numquam quoque sufficiat copia laudatoris; Gaudeo iam gaudio magno valdè, quòd indè adsit ratio non tacendi, vnde oritur & ipsa difficultas fandi: bonumque mihi sentio esse, quòd dùm huius diuinæ prærogatiuæ celsitudinem promere non valeo, vincor: & ad eloquendam celsitudinis tantæ excellentiam impar sum, ac impotens inuenior.

Succumbat ergo mea infirmitas gloriæ Matris Dei, & in explicandis summæ, ac integræ Maternitatis eius prærogatiuis, imparem se semper inueniat.

Cùm autem ipsa materia ex eo quòd est ineffabilis, fandi tribuat facultatem, nec possit sufficere quod dicatur, dum numquam potest satis esse quod dicitur, propriæ pusillitatis oblitus, subleuato mentis apice, in montem magnum & excelsum valde (hoc est) ad æternam hanc Virginis Deiparæ electionem & prædestinationem ascendam. Elegit eam Deus Pater, & prælegit eam in initio viarum suarum (id est) in esse cognito creaturarum ante mundi constitutionem, vt esset sancta & immaculata Virgo, sed & integrè, atque perfectissimè Verbi sui Mater.

Ab Æterno talis ordinata est, & inter omnes mulieres quantumcumque puras & sanctas, quas in sua Deus ipse æternitate beatissima vidit, electa & prædestinata.

Ex tunc meritò, in omni populo, & in omni gente primatum habuit, & sicut Saül electus à Deo primus Rex Israël, stetit in medio populi, altiórque fuit omni populo ab humero & sursum, vir bonus & electus, ita vt non esset in omni Israël melior illo, vnde Samuël ad populum; *Certè videtis, ait, quem elegerit Dominus quoniam non sit similis illi in omni populo, &c.* Ita sanè altior stetit omni alia pura creatura in mente di-

Digitized by Google

uina Virgo sanctissima, meliorque, & optima: altior inquam ab humero & sursum; cùm humerus enim sit symbolum præeminentiæ imperij & principatus, iuxta illud; *Cuius principatus sit per humerum eius, &c.* Virtute Maternitatis summæ, ad quam electa & prædestinata est, in omni populo primatum habuit, & in omni gente principatum obtinuit.

Exindè (vt ait Propheta) fuit *mons præparatus in vertice montium*, quia, vt dicit sanctus Gregorius, altitudo eius ex tunc suprà omnes sanctos refulsit.

Mons sublimis fuit, quia omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit.

Quemadmodum ergo Scholiarcha in classe suos oculos dirigit in ipsum discipulorum quem diligit, vocatque illum nomine proprio dicens, surgat talis & dicat lectionem, &c. qui cùm surrexit, altior cæteris apparet, lectioneque scientificè recitata non modicam, & apud præceptorem gratiam, & apud Condiscipulos gloriam sibi comparat: ita est de Virgine gloriosa quam ab æterno in esse cognito creaturarum inter & super omnes mulieres, quas in sua æternitate præsentes habuit, respexit Deus Pater, vocauitque illam nomine proprio, quando eam in Matrem sui Verbi elegit, tunc surrexit illa, & pro Lectione Canticum suum diuinissimum decantauit, *Magnificat, ait, anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus, in Deo salutari meo; Quia, &c.*

Exindè gratiam hanc apud altissimum inuenit, de qua Angelus ad eam, *Ne timeat Maria inuenisti enim gratiam apud Deum, &c.* Exindè gloriam apud electos sibi talem comparauit, vt dicat ipsa; *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, &c.* Ergo ex tunc de ea dici debuit illud, quòd in Deo honorata & in medio populi sui gloriata, in Ecclesiis Altissimi aperuit os suum, & in conspectu virtutis illius gloriata, ac in medio populi sui exaltata, & in plenitudine sancta admirata, in multitudine Ecclesiastici 24. electorum habuit laudem, & inter benedictos benedicta est.

Et ecce vndè illam gratia plenam, & in mulieribus benedictam asserit Angelus: *Aue,* inquit, *gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus, &c.*

Ecce, inquam, vndè & beatam ipſam prædicant omnes generationes.

Quemadmodum itaque ex pluribus annulis aureis eiuſdem ponderis, prætij & valoris, quos ante ſe habet aurifex, vnum eligit, quo præcioſiſſimam quam habet gemmam obliget & includat, vel vt verbo Tertulliani vtar, deſcrobet, id eſt, inſerat, & incidat; vndè poſtea cæteris aliis ei charior ac præcioſior extet; Ita Virginem Mariam inter omnes mulieres, quas in ipſa æterna æterni Dei æternitate beatiſſima Deus ipſe vidit ex Maſſa omnium elegit, in qua ſummam tantæ dignitatis Matris, videlicet verbi ſui gratiam, velut gemmam ineſtimabili prætio incomparabilem recluderet, vndè ex tunc Deo ipſi ita charior ac cæteris prætioſior extitit; vt exinde *Tota pulchra, immaculata* ſororque & ſponſa, amica & vnica chariſſima appelletur; Ecce ergo vnde huic benedictæ Virgini tanta gratiarum affluentia, tantaque donorum cœleſtium ac ſpiritualium deliciarum abundantia oriatur.

Cùm autem Dei perfecta ſint opera, illam ab æterno Deus non dimidiatam, neque partitam aut diuiſam, ſed integram & perfectam Filij ſui Matrem, hoc eſt, Matrem ſimul & Nutricem, ac Gubernatricem ordinauit, exindéque & ex tunc Gaudia Matris habuit cum Virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt nec habere ſequentem.

Nos itaque exindè quoque plurima ac varia cum Æterni Patris paternitate diuina benedictæ huius Virginis Maternitatem ſummam habere communia agnoſcimus: licet octo illis diſcrepantiis diſſimiles habeantur Pater æternus. Et Virgo beata, videlicet;

1. Quòd Pater Verbum in æternitate, Virgo in tempore generet.

2. Deus Pater Deum Filium, Virgo hominem.

3. Pater in ſplendore paternæ gloriæ, Virgo in humili exilitatis ſuæ aſpectu, ac in ſtabulo paupertatis & indigentiæ.

4. Pater ſibi æqualem, Virgo maiorem ſe.

5. Pater ex neceſſitate naturæ, Virgo per liberum liberæ voluntatis aſſenſum.

6. Pater ex tota extenſione propriæ ſubſtantiæ: Virgo ex

Digitized by Google

vna portione tantum seu parte substantiæ suæ.

7. Pater sine vlla mutatione, Virgo cum nouitate miraculosę conceptionis & miraculosi partus.

8. Pater tandem per semetipsum: Virgo vero per operationem Spiritus sancti.

Attamen mirabili planè diuinæ dignationis Sacramento, ad infinitæ quodammodò magnitudinis dignitatem conquirendam, cum Patre æterno: octo aliis conuenientiis Virgo Mater concurrit.

1. Sicut enim Pater in æternitate filium sibi æqualem secundum diuinitatem generat: sic Virgo eundem in tempore secundum humanitatem similem sibi producit.

2. In æternitate ergo generatur in sinu Patris, in tempore concipitur in visceribus Matris.

3. In æternitate de Deo Patre sine Matre, in tempore de virgine Matre sine Patre.

4. A Patre in puncto indiuisibili æternitatis; à Matre in instanti temporis.

5. A Patre in æternitate vnicus vnigenitusque, ac primogenitus filius generatur: in tempore à Matre idem.

6. In æternitate à Patre integro, & perfecto, non dimidiato, neque partito aut diuiso: eadem enim qua generatur substantia paterna, alitur in tempore à Matre integra & perfecta, non dimidiata neque partita aut diuisa: eademque namque qua genitus, substantia Materna est alitus & nutritus.

7. In æternitate soli Patri conuenit generare Deum: quod & in tempore Virgini soli concessum est, contulitque ei Pater æternus, quod in diuinis nec Filio, nec Spiritui sancto tribuit: licet enim Spiritus sanctus à Filio, sicut & à Patre procedat, quia tamen non procedit per viam generationis, ideo non est genitus, sed procedens.

O certè stupendam dignitatem! vt fœmina cum Deo habeat communem filium, cui dicat quod dicit Pater, *Filius meus es tu ego hodie genuit*; & puella sit illius Mater, cuius Deus est Pater.

8. Tandem sicut in æternitate per generationem verbi à Patre & processionem Spiritus sancti, resultat in vnitate essentiæ

Digitized by Google

Trinitas personarum; ita in tempore per Incarnationem Verbi ex Matre Virgine & operationem Spiritussancti, resultat in vnitate personæ Trinitas substantiarum, carnis videlicet animæ & diuinitatis, quibus quidem conuenientiis passim Doctores Catholici Deipatam Virginem, supparem Deo Patri ausi sunt appellare. Filius, ait Iustinus Miechouiensis, ad dexteram Patris sedet, Mater ad dexteram Filij: mutuoque Patre, & Matre communem Filium Beatis oculis medium conspiciunt. Pater dicit, Filius meus es tu, Virgo item, Filius meus es tu; Pater, ego hodie genui te, Virgo quoque, ego hodie genui te; Pater, hic est Filius meus dilectus: in quo mihi benè complacui, Virgo etiam hic est Filius meus dilectus: in quo sunt omnia gaudia cordis mei: quid habet Pater supra Matrem? ait ille, ex substantia mea alo quem ex me genui; sic ipsa, ex substantia mea nutrio eumdem æterni Patris Filium, quem ex me genui, &c.

Barthol. Scobar Soc. Iesu. Serm. 2. de Præsent. B. M. V.

Beatus venter tuus, ait Bartholomęus Scobar, & beata vbera tua, O Dei Mater, cùm & ventre & vberibus suppar sis Deo Patri, gignens ventre quem genuit; alensque vberibus, ac propria tua nutriens substantia, quem sua ipse quoque filium alit substantia.

S. Bernardinus Senens. Serm. 5. de Natiu. B. M. V. c. 5. & c. 12.

Exinde item sanctus Bernardinus Senensis summam & integram sanctissimæ Virginis Maternitatem *Miraculum Miraculorum vocat.* Quod enim inquit *Deus generaret Deum*; nulla in eo requirebatur dispositio, cùm si ex natura conueniat, vt per vim naturæ intellectus producat verbum per omnia sibi æquale: Immo impossibile est quòd non generet Deum, propter suam infinitam fœcunditatem: sed quòd fœmina conciperet, ac pareret Dominum, est, & fuit *Miraculum Miraculorum*. Oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quasi quamdam æqualitatem diuinam, per quamdam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam creatura numquam experta est. Huc vsque sanctus Bernardinus, qui iterum ait.

Persona Virginis tantæ super excellentiæ est, quòd nec in personis increatis, nec in personis creatis inuenitur, hæc incogitabilis dignitas, scilicet quòd habeat Deum Filium nisi in vna persona diuina, quæ est Patris, & in vna persona humana quę est Matris, hactenus ille.

Quis

Digitized by Google

Quis ergo tantæ dignitatis sublimitatem non veneretur? Quis huius prærogatiuæ celsitudinem cordis affectu, totaque mentis deuotione non reuereretur? Eius excellentiam Angeli annunciant, prænuntiant prophetæ, Apostoli prædicant, Euangelistæ describunt, Sacerdotes honorant, Reges venerantur, Pastores agnoscunt, viri ac mulieres, iuuenes & virgines, senesque cum iunioribus, laudibus efferunt: Totiusque naturæ rationalis amica vox sanctissimam Virginem Dei Matrem conclamat.

Continuatio & extensio Capitis.

MAgnus re vera Dominus Deus Pater & laudabilis nimis in æterna sacratissimæ Virginis electione, sed magna virtus eius, in admirabili Virginis eiusdem prædestinatione æterna.

Quos præsciuit Deus Pater electos, hos & prędestinauit, ait Apostolus, *Conformes fieri imagini filij sui vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, &c.* Non incongruè autem per Imaginem Filij, aliqui sacram verbi humanitatem intelligũt, secundum quam Filius Dei fratres habet electos: nam secundum Diuinitatem, est vnicus, vnigenitusque Dei Filius.

Electi itaquè, quantò conformiores imagini Filij Dei, hoc est, Christi Redemptoris virtutibus ac passionibus inueniuntur; tantò nobilioris prædestinationis gloria exaltabuntur, at diuinissima Virgo, ex qua Verbum carnem assumpsit, tantò præ electis, Christo Filio conformior est prędestinata, quantò præ illis omnibus, nomen Matris hæreditauit. Naturalissimum namque locum suum inter Matrem talem, & prolem tantam, obtinet similitudo.

Itaque, per Christum, omnes Electi Filij Dei adoptiui efficiuntur, & in spiritu adoptionis filiorum prædestinantur, estque Christus solus Filius Dei naturalis, per quem cæteri sunt adoptati, & ad adoptionis gloriam, tanquam serui ad remunerationem vocati: Iuxta illud; *Euge serue bone & fidelis, &c. intra in gaudium Domini tui:* Christus verò, vt Filius Dei naturalis, tanquam Dominus ad hæreditatem & regnum

Digitized by Google

prædestinatus est, quod quidem priuilegium annotauit Apostolus per illud, *In virtute prædestinatus est* (inquit) *Filius Dei in virtute, &c.*

Virgo itaque Deipara licet non sit filia Dei naturalis, hoc habet super omnes electos, quòd sit Mater Dei naturalis; & ideò non simpliciter adoptata, sed super adoptata est, non in spiritu adoptionis ad gloriam prædestinationis vocata.

Non enim vt ancilla simpliciter, tanquam ad remunerationem cum aliis electis; sed tanquam Regina ad Regnum, & Domina ad hæreditatem Filij est prædestinata. Decuit enim illam intrare in Communionem, & participationem bonorū filij sui: & in ratione summæ ac integræ Maternitatis suæ, communem cum filio hæreditatem possidere.

Deinde, *quos prædestinauit* (ait Apostolus) *hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos verò iustificauit, illos & glorificauit.*

Sæpè ergo Electos suos Deus, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad iustitiam, à peccatis ad pœnitentiam, & à statu gratiæ ad statum perfectionis vocat; quos ita vocauit, ex peccatoribus iustos, & sanctos per gratiam iustificationis efficit, dans eis gratiam perseuerandi vsque in finem: quosque ita iustificauit, illos tandem per remunerationem vitæ æternæ, glorificat, & sic super electos, *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, quibus illos ad se deducit.

Sed Virgo Deipara ab æterno in Matrem Verbi electa, his mediis non indiguit. In tempore enim tota pulchra, & in ipso primo Conceptionis instanti (vt infra patebit) immaculata extitit: Et ideò, eius opera omnia sub genere glorificationis cadunt, iuxta illud; *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei, &c. Tu gloria Ierusalem, &c.*

Notandum ergò (iuxta Apostolum) quòd opera Electorum, sub triplici genere constituuntur. Quædam enim sunt, sub genere vocationis; alia verò sub genere iustificationis; Alia tandem, sub genere glorificationis.

Sub genere vocationis, quinque vocationum species comprehenduntur: inspiratiua, occasionatiuam moratiua, prædicatiua, & clamoratiua.

Quidam enim vocantur per inſpirationes internas, vt ſanctus Alexius, & multi alij: quorum tum Scripturæ ſacræ, tum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ varia habentur teſtimonia.

Alij, per inopinatum euentum, vt Apoſtolus ipſe Paulus.

Alij, per flagella & caſtigationes; vt Magdalena, de qua Dominus eiecerat ſeptem dæmonia, & alij plurimi.

Alij per clamores pauperum, vt ſanctus Martinus.

Alij, tandem per Conciones Prędicatorum, vt ſanctus Nicolaus Tolentinas, & innumeri alij.

Sub genere iuſtificationis, cadunt ieiunia, corporis afflictationes, vota, peregrinationes, eleemoſinæ, perſecutiones toleratæ, & ſimilia in gratia facta, paſſa, & tolerata; ***non auditores enim, ſed factores legis iuſtificabuntur.***

Tandem ſub genere glorificationis, collocantur reuelationes, raptus, ectazes, contemplationes, orationes, meditationes, & ſimilia ad glorificationem tendentia.

Sancta itaque Virgo Deipara à primo (vt dictum eſt, & euidentius infra demonſtrabitur) immaculatæ Conceptionis ſuæ inſtanti, Deo chara, tota pulchra, amica, & immaculata, cùm extiterit, *vocationis & iuſtificationis* mediis, ad modum cæterorum Electorum, non indiguit; in Matrem enim verbi ab Æterno electa & prædeſtinata, & in tempore à labe originali præſeruata, ac in gratia glorioſiſſimè conſeruata; omnia eius opera ad Maiorem Dei gloriam ordinata, & directè ad ſtatum gloriæ tendentia, plenaque & glorioſa exiſtentia, ſub genere glorificationis optimè ſtatuuntur; *Glorioſa* ergò, *dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, glorioſa ſanè, & cogitata, & dicta, & patrata ſunt, glorioſiſſima Mater Dei. Cuius etiam meritis & precibus, plurimi Electorum ad viam ſalutis in dies reuocantur, reuocati iuſtificantur, & iuſtificati tandem glorificantur.

Omnes ergò ſancti & electi Dei, ſi cum Virgine comparentur, quantumcumque virtutum generibus reſplendeant, erunt velut famuli ac ſerui, ſeu nobiles domeſtici, honeſtis pro vniuſcuiuſque merito veſtibus adornati: ipſa verò vt *Regina aſtitit à dextris* filij ſui Regis, ***in veſtitu deaurato, circumdata varietate***: tantò, vt dictum eſt, melior, dignior, ſan-

Digitized by Google

ctiórque omnibus effecta, quantò præ illis nomen Matris hæreditauit.

Exindè electi omnes sacratissimam Virginem hanc, velut salutis suæ itineralem tramontanam aspicientes, summam, sanctamque, integram, & perfectam maternitatem eius venerantur, & pro salutis ac prædestinationis argumento deuotionem ac pietatem in Virginem ipsam sacram, passim sancti Patres assignant.

Tandem æterna ipsa Æterni Patris sapientia de Virgine non dedignatur asserere quod de se testata est: *Dominus* (ait) *possedit me in initio viarum suarum.*

Quod de Deipara sicut & de sapientia æterna interpretatur Ecclesia.

Viæ autem Dei, sicut & opera, ad intra & ad extra agnoscuntur.

Via prima Dei ad intra est ipsa æterna æterni verbi generatio; paternamque ab æterno cognoscendo se, perfectissimè verbum generat, possedítque sic filium suum in initio viarum suarum ad intra.

Prima verò via Dei ad extra, est ipsa vniuersi creaturarum ex nihilo per verbum creatio. *Verbo enim Domini Cœli firmati sunt, &c.* Et hîc verbum principium tenet viarum Domini ad extra: *Omnia*, namque *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Ad intra quoque in esse cognito creaturarum possedit Dominus sanctissimam Virginem: quando, vt dictum est, ante omnem puram creaturam, inter & super omnes mulieres, in Matrem verbi sui illam elegit.

Deinde in initio viarum Dei ad extra, id est, in ipso mundi exordio, Deus dixit ad serpentem *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. ipsa conteret caput tuum.* Ergò cùm de Virgine beatissima hæc intelligantur, ab initio viarum suarum Deus ipsam possedit; cui virtutem tantam caput serpentis antiqui conterendi dedit. Sicque similior filio, præ electis omnibus, in ipso prędestinationis suæ ordine extitit. Exindè, nullo signato tempore, Angelus ad eam *Dominus tecum*, ait, nec præteritum, nec præsens, nec futurum

Digitized by Google

tempus designauit, vt significaret ante omnia tempora, hoc est, ab æterno, & in omni tempore, & post tempora omnia, ab æterno, inquam, & vsque in æternum Dominus fuit secum semper, illamque possedit nec vnquam deseruit ipsam.

Ex quibus omnibus patet, quàm mirabilis Deus in Virginis prædestinationis ordine, quàm magnus, & quàm magna virtus eius, in tanta tantæ Virginis prædestinationis dignitate. Licet enim *mirabilis in omnibus sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis* appareat, mirabilior sanè, & sanctior in Virgine ipsa sacra agnoscitur, vnde & in schola, vt ampliore laude dignus, amplioris planè gloriæ obseruantia ab omnibus exaltandus.

Conclusio Capitis, Continuationisque & extensionis eiusdem.

PLacuit altissimo, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia & cuius opus misericordia est, habitare in Virgine, carnemque ex ea assumendo in Matrem illam accipere, sicut illi placuit, ita factum est, sit nomen eius benedictum.

Poterat ex limo terræ, ex ære, ex aqua, ex igne, ex Cœlo ipso Empireo, ex Elementis aut syderibus, & ex quacumq; alia creatura ad redimendum genus humanum sibi corpus efformare: Verumtamen quia maledicta fuit terra post peccatum hominis iuxta illud: *Maledicta terra in opere tuo, &c.* quia etiam ignis & aqua iræ & indignationis diuinæ in homines præ se symbola gerunt, vt ex diluuio, & incendio Sodomorum, videre licuit, quia item nequitia sua ærij Dęmones, de quibus ait Apostolus; *Est nobis colluctatio contra spiritualia nequitia in Cælestibus*, ærem ipsum inficiunt, & Cœlum Empyreum, in quo Angeli sunt creati, peccato Angelorum quodammodo velut pollutum & prophanatum extitit, licet ipsa Dei beata præsentia, ac essentiæ suæ diuinæ visione beatifica in Angelis, & beatis, vt locus fieret beatitudinis æternæ; velut repurgatum sit & reconsecratum, omnisque creatura in homine ipso, qui habet esse cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis corruptioni subiacens, ac vanitati, ingemiscit, ali-

qua ex omnibus oriebatur repugnantia ad summæ benedictionis pietatisque, clementiæ & charitatis ac sanctitatis diuinæ tantum erga genus humanum sacramentum operandum, ita vt congruentissimè cœlo terraque sanctiorem ac elementis & syderibus omnibus puriorem crearet Virginem Deus ipse, ex qua ad redemptionis humanæ adimplenda mysteria corpus sibi assumeret, quam & ideò ab æterno præuisam, electam, & prædestinatam conuenientissimè ab omni labe etiam originali in tempore præseruauit.

Et hæc sunt gloriosa, quæ in ratione tantæ Maternitatis de Virgine dicta sunt: quibus & hoc vnicum iterum ex sapientis sententia addendum concludendo placuit.

Ecclesiastici c. 42. *Filia Patris*, ait Sapiens, *abscondita est*. Nec incongruè Virginem Deiparam Filiam Patris, & Filiam absconditam appellat. Sicut enim in diuinis, Verbum per viam intellectus, cuius est genitoris Patris in genito filio imaginem imprimere à Patre ipso procedit & generatur, qui inde filius vocatur, splendórq; paternæ gloriæ, figura substantiæ eius, & imago bonitatis illius dicitur. Spiritus vero sanctus, eodem Patre simul & Filio, tanquam ab vno vnicoque principio, per viam voluntatis, cuius est non imaginem, sed amorem producere, procedit: vnde nusquam Spiritum sanctum in Scripturis, nec Patris nec Filij imaginem legimus appellari. Ita cùm sanctissima ipsa ac in æternum benedicta Virgo Deipara, ab æterno fuerit in intellectu Patris, Mater Verbi præuisa, electa & prædestinata, supparque in tempore (vt ostensum est) Deo ipsi Patri existens: veram eiusdem Patris, Paternitatis imaginem in sua Maternitate impressam habeat, videatque Pater ipse Virgineæ carni quam ex eadem Virgine Verbum assumpsit, veram & viuam ac substantialem diuinæ essentiæ suæ imaginem hypostaticè vnitam, merito Mater ipsa Verbi diuini filia Patris appellatur.

Additur autem, *abscondita*, propter reuerentiam summam singularemque venerationis obseruantiam, qua in tantæ Maternitatis ratione, cunctis colenda proponitur.

Sicut enim Pater Æternus, Deus absconditus vocatur: Iuxta illud; *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, &c.* Et

Digitized by Google

ide ò, iuxta doctrinam Christi, in abscondito Patrem oramus: *Ora* (inquit) *Patrem tuum in abscondito, & Pater qui videt te in abscondito reddet tibi, &c.* Sicque orandum præcepit. *Pater noster qui es in cœlis, &c.* Ea namque, quæ in Cœlis sunt, abscondita sunt à nobis, tantumque; *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, vt ait Apostolus.*

Sicut (inquam) hæc ita de Patre habentur, vt à nobis maioris obseruantiæ cultu reuereantur, facile namque quod ipsis commune ac familiare est despicere solent homines, & nimia inter illos familiaritas contemptum parit. Vnde & Christus ipse, ex quo *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,* ab illis despectus, opprobriisque ac contumeliis affectus, tandem morti traditus est; Spiritus quoque sanctus, qui visibili specie super Christum in Iordane, super Apostolos in Cœnaculo, & super Christianos in baptismate in ipso nascentis Ecclesiæ exordio descendit, infami simoniæ prętio à simoniaco ipso simone Mago fuit expositus. *Ecce,* ait, *do vobis pecuniam, date & vos mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum.* Ita sanè summæ Maternitatis sacratissimæ Virginis plurima ac varia mysteria absconduntur, vt in reuerentia ampliore habeantur. Et Virgo ipsa, de cuius æterna electionis & prędestinationis dignitate, de cuius immaculatæ Conceptionis, Natiuitatis, Præsentationis, Mortis, Assumptionis, & Coronationis Mysteriis nihil dicit Scriptura, in ipsis omnibus tantorum mysteriorum sacramentis, velut abscondita cernitur, vt digniori & obseruantiori cultu veneretur.

Pauca ergo hæc ex multis, multa paucis contrahendo, de diuinissimæ huius Matris Dei (videlicet) prærogatiuæ excellentia collegimus, vt ardentiori zelo in Virginem ipsam sacram affectum pietatis fidelium prouocaremus. Nunc itaque ad nutricis Dei prærogatiuam transeamus.

Digitized by Google

DE PRÆROGATIVA NVTRICIS DEI.

Mater Dei vera integra & perfecta, ex eo quòd eius quem peperit, Nutrix extiterit, Virgo Deipara ex Patribus asseritur.

CAPVT II.

EX quo pro nobis peccatoribus paruo lacte pasci dignatus est, per quem nec ales esurit, ex quo, inquam, is, ad quem omnium oculi adspiciunt; *Vt det illis escam in tempore opportuno*; & qui *aperiens manum suam implet omne animal benedictione*; Escam petiit, & cibum à Virgine accepit, ab eaque toto lacteæ educationis suæ tempore nutriri voluit Iesus Christus Dominus Deus noster: Omni reuera veneratione digna in Virgine ipsa sacra hæc Nutricis Dei prærogatiua extitit: qua non partita, neque dimidiata, aut diuisa, sed vera integra & perfecta eiusdem beatissimi Redemptoris, Mater effecta est.

Vt autem exindè summæ Maternitatis huius integritatem agnoscamus: è fontibus doctrinæ salutaris, sanctorum atque Doctorum Ecclesiæ in gaudio hauriamus.

S. Bonau. in Luc. c. 11. Seraphicus Doctor super illud Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*: Ideò, ait, iunxit ista duo; vt ostenderetur Virgo Maria fuisse Mater Christi vera & perfecta, quia non solùm genuit, sed & educauit: Et sicut verè educauit, ita verè genuit: quod designatum fuit in Moyse, qui, vt dicitur, noluit lactari à muliere Ægyptiaca,
Exod. 2. & ideò quæsita fuit mulier Hæbræa, sicut in Exodo legitur: &c. Ergò iuxta mentem Doctoris Seraphici, integram Matrem Dei habemus Virginem, in figurisque eius adumbratam Maternitatem perfectam possidemus, exindè, quòd eiu

eius quem peperit nutrix extiterit Saluatoris.

Venerabilis Beda contra Eutichianos scribens; Et nos (ait) contra Eutichen extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, dicamúsque Saluatori, beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti. Qua enim consequentia de Virginis semine negatur esse conceptus, qui de eius lacte creditur fuisse nutritus; cum ex vno eodemque fontis origine, secundum physicos, vterque liquor emanare probetur? Ergo de eius semine potuit concipi, qui de eius lacte potuit nutriri, &c. *Beda l. 4. c. 47. in Luc. 11.*

Hoc argumento à nutritione seu lactea educatione Saluatoris, sanctus Ecclesię Doctor, veram sanctámque, integram & perfectam sanctissimæ Virginis maternitatem scientificè demonstrat.

Ad hæc etiam sanctus Chrysostomus de sacræ vetulæ vberibus loquens, propter hoc (inquit) ei lactis fontes concessi sunt, vt partum magis credibilem faciant; vt enim omnibus partus manifestus esset, & omnes, tam eos, qui tunc aderant, quàm qui postea audierint, ad fidem miraculi introduceret; Idcirco puerum ipsa alit, & lacte suo vult enutricari, &c. Quo quidem argumento, integra quoque Virginis sanctissimæ Maternitas ex lactatione Saluatoris aptissimè demonstratur: Vnde & Isidorus Ægyptius dicit; quòd lactis fontes partum confirmant. Veri enim partus argumentum certissimum, ait, est lactis profluuium; Ideò ergò beatificantur vbera sanctissimę Virginis, quòd ex lactatione, maneat eius, quem peperit integra Mater Saluatoris. Exemplo fiet clarius. *S. Chrysost. Hom. 45. & 5. Exod. 17. nu. 16. Isidorus Ægyptius lib. Epistolarum Epist. 180.*

Cùm Hymnum sacrum, qui incipit, *Aue Maris stella*, deuotè sanctus Bernardus, ante venerandam Virginis sanctissimæ imaginem recitaret, ac verba ipsa, *Monstra te esse Matrem* attentiùs & feruentiùs iteraret, Protinùs Diua Virgo, veram se integram & perfectam Dei Matrem ostendens, miraculosi lactis imbre os & labia Bernardi orantis irrorat. Quòd singulare in Bernardum Diuæ Virginis beneficium per pulchrè ita describit Iacobus Bidermanus.

Iacobus Bidermanus Soc. Iesu. Epigrammatum li. 2. fol. 64.

Virginei stabat signum venerabile templo
Indita cui magnæ forma parentis erat,
Hic solitam Bernardus opem dùm sedulò optat
Tergeminumque leui murmure dicit Aue
Ter vocat Ætheriæ portam blandissimus aulæ:
Denique Mater, ait, magni fœcunda parentis
Incipe te Matrem Virgo probare meam.
Sic ait, & niuei respexit ad vbera signi,
Vbereque è niueo, niueus imber iit,
Qui medius flexo postquam aëra transiit arcu,
Arida Bernardi fluxit in ora liquor.
Ille diu dubius dùm dulcibus imminet vndis,
Credidit hybleo mella pluisse mero,
Victa sed hybla fuit, nectar quoque credidit illa
Nectare sed dulci, dulci dulcior vnda fuit.
Hæc tandem, inquit, est Materni gratia lactis,
Claude tuum iam sunt pectora pota sinum.
Immo age, pande sinum, da pluribus vbera Mater,
Nos quoque lactantes paruula turba sumus.

Tandem Ecclesiæ *Beata viscera Mariæ Virginis quæ portauerunt Æterni Patris Filium;* Et *Beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum:* vtrumque cum muliere Euangelica beatificat & commendat, vt Virginem sanctissimam non partitam, neque diuisam, vt dictum est, aut dimidiatam, sed veram integram & perfectam Dei Matrem ostendat.

Digitized by Google

uam summa & eminentissima in ipsa Virgine Deipara. Hæc etiam Nutricis Dei prærogatiua extiterit, pluribus ac variis Scripturæ sacræ testimoniis comprobatur.

CAPVT III.

ESTHER *eleuata in populis*, post exceptum conuiuio Regem Assuerum Regio diademate coronatur. *Quid vis Ester, ait illi Rex, & quæ est petitio tua; etiam si dimidiam partem regni petieris, bitur tibi. Cui illa; si regi placet, obsecro, vt veniat ad me die ad Conuiuium quod paraui, &c. Descendit itaque Rex ad nuiuium, vt biberet cum Regina: posuitque diadema Regni capite eius, & fecit illam regnare, &c. Omnia autem*, ait postolus, *in figuris contingebant.* Sensus ergò est, regio onore dignam, regioque diademate merito coronatam irginem sanctissimam censeri; ex quo Regi Regum, & Doino dominantium, Iesu Christo Redemptori lacteum coniuium parauit, & ex quo, eumdem Virgineo virginalium berum suorum lactis conuiuio excepit. *Esther. c. 2. & c. 5.*

Christus ipse in deserto, cùm ex quinque panibus horeaceis & duobus piscibus, quinque millia hominum satiasset: *Illi homines*, ait Euangelista, *vt viderunt signum, quod cerat, voluerunt rapere illum vt facerent eum Regem.* Dignum ire regio honore existimantes, qui populo panem ad manucandum præstitisset; ergò & qui Regi ipsi, Deoque, ac Domino omnium, conuiuium præstitit. Quæ, inquam, omium viuentium nutritorem suo lacte nutriuit, meritò regio onore digna censebitur. Pleno itaque ore fideles, illam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Sanctorumque omnium Reginam ligne conclamant.

Domini nomen accepit Creator omnium Deus, cùm ho-

Digitized by Google

minem creasset, illique edendi de fructibus paradisi potestatem dedisset, ipsique Regium conuiuium præparasset: Sic enim loquitur Scriptura: *Dixit quoque Deus: Ecce Dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, &c. Posthæc, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; Formauit igitur Dominus Deus hominem, &c.* Quo indicio declaratum est, meritò nomen Domini sibi assumpsisse, qui non solùm hominē creauit, sed & creatum nutriuit, & talibus talis paradisi, tantisque fructibus pauit: At, vna Virginei lactis Mariæ Virginis gutta (vt ait sanctus Bernardinus Senensis) præualet omnibus lignis paradisi; Imò totius frugibus vniuersi. Domina igitur & Regina iure censetur, à qua Dominus ipse & Rex vniuersorum nutritur: Vndè, vt inquit idem Sanctus, de Monarchia vniuersi numquam Christus testatus est; eo quòd sine Matris præiudicio, numquam poterat fieri; Iure enim hæreditario vniuersum huius mundi meruit principatum & regnum.

Genes. 1.

S. Bernardinus Senensis Serm. 5 de B. M. V. c. 7.

Diuina tandem prorsus hæc Nutricis Dei prerogatiua censetur, ex iis quę sanctus Iacob Patriarcha in Mesopotamiam pergens, vidit, & dixit. Vidit enim scalam Cœlumque tangentem, qua, terræ Cœlique Domina, Virgo beata significabatur; & ait: *si Dominus fuerit mecum in via ista per quam ego ambulo & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum quo operiar erit mihi Dominus in Deum, &c.* Vbi pro Deo assumitur, diuinisque honoribus colitur, qui habet vnde nutriat, vestiatque suos; at, cùm carne sua Deum ipsum vestierit, Virgineoque Virginalium vberum lacte nutrierit Virgo Mater: Nonne meritò (seruato semper iure Creatoris) diuinis honoribus colenda erit? Ergò Diuam, Diuinamque illam, diuinòque honore dignam, meritò prædicamus.

S. Aug. li. 4. de Ciuit. Dei. c. 11.

Gentiles ipsi, vt ait Diuus Augustinus, Iouem suum sub nominibus Rumine, educæ, eduliæ, & potinæ, tanquam cunctorum viuentium nutritorem, diuinis, ac summis honoribus afficiebant; quantò magis ea quæ Deum viuentem, viuentium omnium verum & vnicum nutritorem, filium simul

& alumnum suum pro nobis effectum, diuinissima Virgo, diuino cultu colenda veniet? quam ideò etiam gentium ipsorum Sybillę virgines prophetissæ, beatam & prædixerunt & prædicauerunt: Nascetur, ait Tiburtina, in Betlehem nunciabitur in Nazareth, ô fœlix illa Mater, cuius vbera illum lactabunt. Virgo, inquit Cimeriana cibabit lacte suo puerum, cui Magi offerent, aurum, thus, & myrrham, &c. Facilè ergò ex his coniicitur, quàm summa & eminentissima sit in Virgine ipsa Deipara, hæc etiam Nutricis Dei prærogatiua.

Quòd dignissima Virgo Deipara, ea qua Nutrix Dei, ipsamet etiam, idque congruentissima ratione ab omni originalis peccati labe caruerit ostenditur.

CAPVT IV.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. In qua macula non inuenitur; verè tota pulchra censetur, & meritò immaculata vocatur. *Cantic. 4.*

Spiritus sanctus autem 4. Canticorum priùs dixit: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli Capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Deindè subiungit: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.*

Cùm ergò per vbera aptissimè Nutricis prærogatiua designetur, etiam vt Nutricem Verbi, Virginem sanctissimam totam pulchram immaculatámque Spiritus sanctus gloriosissimè ostendit. *Abulens. in 2. Exod.* *Glosa ordin. ibid.*

Ad hæc, refert Abulensis, quòd filia Pharaonis miserata Moysi ploranti, tanquam deficienti lacte iussit plurimas mulieres Ægyptias ei præbere vbera, à quibus auertebat faciem suam, tanquam quæ essent cognosceret, solamque mulierem Hebræam, Matrem scilicet propriam suxit. Cui filia Pharaonis; *De infantibus,* ait, *Habreorum est hic: accipe pue-*

Digitized by Google

rum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam, &c. Hęc autem mulier nutriens adoptatum filiæ Regis filium; iuxta ritum & priuilegia nutricum filiorum Regum, cibis regiis vescebatur, nec censum Cęsari Ægyptiorum, eo tempore soluit, liberaque omninò extitit ab omni tributo, quo filij Israël ab ægyptiis præmebantur, sed & mercedem Regiam accepit iuxta illud; *Ego dabo tibi mercedem tuam*, vt in Exodo habetur.

S. Bonauent. in Luc. c. 11. Hęc autem mulier (ait Seraphicus Doctor) designat Beatam Virginem, cuius vbera suxit Christus, &c.

Ergò cùm in figuris omnia contingerent, in figuræ huius mysterio: Omnes mulieres, velut ægyptiacæ, propter labem originalem reputabantur: Nec decuit Christum illarum vbera sugere, soliusque Virginis immaculatæ suæ Matris propriæ vbera suxit; quæ ideò etiam censum Cæsari infernorum non soluit, liberaque extitit conuenientissimè à tributo ignominiosissimo originalis culpæ, quod iugū graue vocat Scriptura, & iugum Matris; *Iugum graue*, ait, *super* Eccli. 40. *filios Adam, à die exitus de ventre Matris eorum vsque in diem sepulturæ in Matrem omnium, &c.*

A tali iugo Mater ipsa Dei integra, hoc est, Mater simul & nutrix congruentissimè præseruata est, quæ lacte suo pauit, quem, Virginitatis gloria permanente mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum. Quod & Poëta Christianus perpulchrè ita describit.

Quod si syderei tanto splendoris honore
Fulget, vt æterno, qui temperat ordine mundum
Baptista Mantuanus. *Gestarit gremio, lactarit vbere dulci*
Strinxerit amplexu, summóque gestarit Olympo.
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi infestare luto, mortalibus æquas,
Cui pater Æthereas mentes subiecit & astra, &c.

Carthag. l. 2. hom. 15. de B. M. V. Ipsa quoque in Canticis, miræ huius prærogatiuæ priuilegium designauit aptissimè, dum ait; *Fasciculus myrrhæ di-*

Digitized by Google

us meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Proprium
ıque myrrhæ eſt carnem àputredine, & corruptione ſer-
e; proprium verò Chriſti, quem hic faſciculum myrrhæ
ellat, animam Deiparæ huius Virginis immaculatam in-
ruptámque cuſtodire. Cùm ergò per vbera (vt dictum
Nutricis prærogatiua deſignetur, vt indicet ſe etiam vt
icem verbi conuenientiſſimè præſeruatam, addit, *inter*
a mea commorabitur.

'alem ab æterno electam aſſerit Virginem ſanctiſſimam
ocentius Papa, his verbis; *Sancta Parens Ieſu Chriſti ele-*
ola tu fuiſti eſſe Mater ſine viro, & lactarè modo miro, &c.
iſſimè autem non dimidiatam, ſed integram Matrem,
eſt, Matrem ſimul & nutricem Verbi, ab æterno præde-
tam, & in tempore præſeruatam ſatis ſupra oſtendimus.
uod adumbratum quoque in Iaël cernimus, omnia enim
guris contingebant, quam præparauit Deus ad necem
teritum Sizaræ ducis militiæ Regis Chanaan. Ipſe en
ns, aquam petiit; *Illa autem aperiens vtrem lactis, aqu*
ti, lac dedit; cúmque ille obdormiſſet, clauum ipſa val
tempus capitis intulit, percuſſumque malleo, defixit in
m vſque ad terram, qui ſoporem morti ſocians defecit & m
eſt, &c. Ita ab æterno præparauit Deus Pater ſanct
Virginem, quando illam in Matrem integram & pe
, id eſt, in Matrem & Nutricem ſimul verbi ſui eleg
deſtinauit, Duci autem militiæ infernorum aquas illas
ti, de quibus dicitur, *aquæ multæ, populi multi*, aquam,
am, petenti lac ipſa dedit, quando Virgineo Virgi
vberum ſuorum lacte quem nobis peperit enutri
mptorem; qui caput ſerpentes contriuit, mor
uxit, infernum ſpoliauit, ac prorſus noſtrorum ſtrauit
itum inimicorum.

me Mulieri tanquam peccatrici dixit Deus: *Multipli-*
rumnas tuas & conceptus tuos, &c. id eſt, faciam vt fi-
uos, non ſemel tantum parias, ſed ſæpè, ac ſæpius re-
rias per longum nutritionis tempus. Hæc autem dicta
i, quia peccatrix extitit; Inter alias namque grauio-
œnas, quas Dei maledictio mulieri ab initio impoſuit,

Innocentius IIII. Papa.

Iudic. 5.

Fernandez Quirinus.

ex Salazar. Soc. Iesu. altera quidem fuit lactationis & nutritionis molestia. Nam cùm in nutritione grauia magis, & molestiora esse soleant matrum tædia, mœrores ac labores, ægrimoniæ, & angores, ærumnæ, & anxietates, ambigendum non est, quin has molestias, lata in mulierem Dei sententia, etiam inclusferit. Ait autem Christo Mulier Euangelica, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*; in Virgine Deipara id beatum prædicans, quod in aliis Matribus post naturæ vitium, non paruam maledictionis pœnam continet, scilicet nutrire, & educare. Prolem, ergò non idem modus lactandi & alendi in Virgine ipsa sacra, ac in aliis matribus: ita planè caruit etiam omni tædio, ac labore, & angore, quibus Dei maledictio reliquas nutrices, & lactatrices subiecit; Igitur si aliarum fœminarum ritu, filium suum nec cum tædio, nec cum molestia aluit, vitiatæ prorsus naturæ leges, vt nutrix etiam verbi, non sustinuit, atque adeò peccatum illud ignorauit quod seueras illas leges reliquis mulieribus imposuit; itane putandum illam, quæ ad lactandum mundi prætium, atque adeò in communionem & consortium redemptionis Christi admissa est, cum reliquis mulieribus delicti communionem & consortium habuisse, absit, &c.

Tandem, prima mulier peccando perdidit gratiam originalem, & maledictionis pœnam incurrit, pariendo, & enutriendo filios suos, iuxta illud; *In dolore paries, &c. & multiplicabo ærumnas tuas, &c.* Sed Virgo benedicta, quæ à labe originali fuit præseruata, gratiam originalem inuenit: Vndè etiam ad eam Angelus, *Inuenisti gratiam apud Deum, &c.* Quemadmodum enim peritissimorum opificum studiosissimè asseruantur opificia, sic apud Deum asseruabatur, & Mariæ reseruabatur à parentibus primis hæc ipsa amissa originalis gratia, quæ opus Christi est: *Lex enim per Moysem data est, sed gratia per Iesum Christum facta est.* Et sicut ad Regem, Aulicorum fideliori donanda reuertitur prouinciæ præfectura, qua ob crimen lezæ Maiestatis spoliatus est is, qui à Rege ipso illam acceperat; ita est de gratia à primis parentibus perdita, quæ fidelissimæ Virgini Matri simul, & Nutrici

Dei

Dei concessa est. Clariùs insuper & euidentiùs. Non decuit tantum ac tale, & tam nobile opus Dei, vt erat Iustitia seu gratia originalis, deperdi omninò, & perire, sed conuenientissimè quod cecidit in Adamo, debuit in alia creatura reparari; at non debuit in Christo ipso id fieri. Est enim reparator ipse, & non res reparata, non potuit in Angelis reparationis humanæ mysterium adimpleri, quia agitur de salute hominum, non Angelorum.

Deinde Angeli non sunt creati successores gratiæ hominum, sed potiùs è contra; per homines enim replebuntur sedes Angelorum; ideò non decuit gratiam quam perdidit homo, Angelum inuenire. Hanc item de qua nunc sermo noster, Gratiam originalem protoplastorum culpâ amissam, nec Apostoli, nec Martyres, Patriarchæ, Prophetæ, Confessores, Virgines, Pœnitentes, nec tandem etiam quantumcumque innocentes pueri, potuerunt inuenire: Omnes enim à minimo vsque ad maximum *indigent gratia Dei, etiã infans, cuius est vnius diei vita super terram: Nemo mundus à sorde*: quandoquidem *omnes in Adam peccauerunt.*

Et sicut mortuis radicibus arboris, moriuntur & rami, folia, frondes & flores; sic per peccatũ mortuis parentibus nostris, nos omnes in illis mortui sumus, hoc est, gratiã amisimus, culpam incurrimus, pœnamque maledictionis assumpsimus. Ergò congruentissimè decuit aliam puram creaturam humanam creari, in qua inueniretur quod amissum fuerat, & lapsum, repararetur; Sub Deo autem, Matre Dei dignior, purior, ac sanctior non potuit alia inueniri, ergò cõuenientissimè gratiam originalem inueniens, à labe originali præseruata est, in qua nobiliori modo, scilicet, præseruationis, reparatum est, quod in Adamo cecidit; Et ideò, nec partus doloribus, nec nutritionis & educationis angoribus, tædiis, ac molestiis subiacuit, quæ diuinæ & integræ ac perfectissimæ Maternitatis gaudia habens cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Hoc iterum concludendo, addam; quod & de Apostolo assumam, videlicet, in primis parentibus abundauit delictum, vnde & in Adam omnes moriuntur, sed & in Virgine

Digitized by Google

Matre Christi superabundauit gratia, & in Christo eius filio omnes viuificantur.

Superabundauit sanè in Virgine Deipara gratia originalis: nam illam ampliorem potiorémque & perfectiorem, quam parentes ipsi habuerant, videtur accepisse. Illi namq; in statu gratiæ existentes, quibusdam venialibus defectibus subiacuerunt, quibus tamen originalem gratiam non amiserunt; etenim periculo se exposuere Adam, nimia vxorem complacentia aspiciendo, & mulieris vocem audiendo. Mulier quoque, in aspectu ligni nimium sibi complacendo, & serpentis item voci auditum præbendo; *Vidit enim mulier* (ait Scriptura) *lignum, quod pulchrum erat oculis, aspectúque delectabile*; Deindè mentita reperitur, cùm ait; *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*; Non enim prohibitus erat ligni, nec tactûs, nec aspectus, sed tantum esus. At, Virgo Deipara, tota pulchra & immaculata, nullis talibus est inquinata venialibus; Elegit enim illam Deus ab æterno, vt esset sancta & immaculata, & in tempore exhibuit illam sibi gloriosam ab omni labe immunem, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi? Quoniam (vt dictum est) non dimidiatam neque partitam aut diuisam, sed veram, integram, atque perfectam illam Matrem habere voluit (hoc est) Matrem simul & nutricem, quæ partus dolores nesciret, & nutritionis angores penitùs ignoraret; Quoniam etiam vt Nutrix Verbi, congruentissimè tædia & mœrores, molestiasque peccatricibus mulieribus, ob maledictionis pœnam, illatas, ab omni peccato illæsa, sustinere non debuit.

Et hęc sunt quæ ad huius excellentissimæ Nutricis Dei prærogatiuæ excellentiam commendandam necessaria videbantur: reliqua Tractatulo de Sacris vberibus referentur.

De altissima & omni veneratione digna Gubernatricis Dei in ipsa Virgine Deipara dignitate & prærogatiua.

CAPVT V.

MVLIERIS est, iuxta sacræ Scripturæ testimonium, regere familiam & gubernare domum: Vnde & rectrix ac gubernatrix appellatur, sicuti de Sara Tobiæ iunioris sponsa legitur; Quòd *apprehendentes parentes eius filiam suam, deosculati sunt eam, & dimiserunt ire; monentes eam, honorare soceros, diligere maritũ, regere familiam gubernare domũ, & seipsam irreprehensibilem exhibere, &c.*

Cùm ergò domus & familia Dei Angelos & homines comprehendat, dicatque Philosophus, quòd qui potest magis, potest & minus; Sanè Virgo Deipara Angelorum dignè & hominum Domina censebitur, Virginaque & moderatrix, ex quo Verbum ipsum propter nos caro factum, Angelorum & hominum caput & Dominum non solum concepit, genuit, & aluit, sed etiam curauit, rexit, & gubernauit.

Quemadmodum itaque quanto tempore princeps hæres paruulus est, nihil differens à seruo cùm sit Dominus omniũ, sub Tutoribus & Actoribus vsque ad præfinitum tempus cõstituitur. Regina tunc Mater Regis regnique gubernatrix electa, tum principis, tum subditorum debitam sibi recipit & reuerentiam & seruitutem; Ita Virgo Deipara in Matrem Verbi non dimidiatam, sed integram electa, in Matrem videlicet simul & nutricem ac gubernatricem, ab ipso Verbo ex ea pro nobis incarnato, ab Angelisque simul & hominibus sibi iure debitam obseruantiam percepit, ex quo in ea quantæ dignitatis, & excellentiæ hęc etiam Gubernatricis Dei prærogatiua exstiterit, facilè colligitur.

Ex quo Ioseph Patriarcha frumenta & alimenta Pharaoni, & omni populo suo præparauit in escam apud Ægy-

Digitized by Google

ptum, constituit illum Pharao dominum domus suę & principem omnis possessionis suæ; Non ergo mirum, si Domina domus Dei, & omnis possessionis Christi Principessa, hoc est, Dei ipsius, eiusque Ecclesiæ Electorum gubernatrix & domina constituatur, quæ Christum Deum ac Dominum nostrum lacte suo pauit, ac omnibus Electis frumentum ipsum Electorum in salutem dedit.

Michol vxor Dauid, & sapientissima domus eius gubernatrix, vitæ quoque & personæ sponsi sui Saluatrix extitit, dùm collocata in lecto viri lignea statua, per fenestram virũ deposuit; quo quidem facto illusi sunt Satellites Saülis ad necem Dauid quærentes.

Virgo ita sanctissima dùm sanctissimæ prudentissimæque ac sapientissimę Gubernatricis Dei officio fungeretur, Christum ipsum in Ægyptum portauit relictis in Iudæa pueris Iudæorum, quos Rex impius Herodes iratus occidit, videres quod illusus esset à Magis; Vitæ ergò Christi Saluatrix extitit, quæ tunc temporis eius Gubernatrix erat, ex quo re vera prærogatiuæ huius altissimæ excellentia patet, cuius dignitati vitæ saluatæ se Christus ipse exhibuit debitorem.

Deut. 32. In diuinis, quia Pater generat Verbum, Genitor & Pater appellatur, qui etiam per creationem Pater noster est; Iuxta illud, *Nonne ipse est Pater tuus qui possedit, & fecit, & creauit te? &c.* Filius verò, qui Verbum Patris est, nutritius, vel nutritor est; vnde dicitur: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Deindè, ex quo ipse pro nobis carnem assumpsit, propria carne ipsa sua, proprióque sanguine nos aluit, qui sequentium se & audientium verbum eius turbas solebat panibus, & piscibus pascere populorum. Spiritus quoque sanctus vitæ Christi ductor est, Iuxta illud: *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, &c.* Est etiam Rector Ecclesiæ & Gubernator eiusdem, per quem columna est & firmamentum veritatis. Virginis ergò Deiparæ prærogatiuarum aptissimè exindè excellentia agnoscitur, quòd vt Mater Dei Patris correspondet dignitati, vt nutrix eiusdem, nutritij seu nutritoris filij excellentiæ congruit, & tandem per Gubernatricis prærogatiuam, Spiritus sancti

competit officio, sicque quodammodo complementum est totius Trinitatis.

Non itaque magnum est Virginem sanctissimam Cœli & Terræ Dominam, Angelorum & hominum Reginam, Ecclesiæ Gubernatricem sapientissimam, ac Electorum omniū salutis prudentissimam curatricem prædicare; cùm ex eo, quòd Mater nutrix Gubernatrixque Dei extitit, totiusque sanctissimæ Trinitatis complementum censetur, etiam iure & meritò minoribus his beneficiorum ac prærogatiuarum titulis potiatur. S. Bernardinus Senensis

Hoc vnum dicam & in ipso ac cum ipso vno omnia dicam, Serm. 5. d. Natiuit. B. M.V. c. 6. & 7. & vt cum sancto Bernardino Senensi loquar; Tot creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini Mariæ; quot Trinitati seruiunt; Omnes nempe creaturæ quemcumque gradum teneant in creatis, siue spirituales vt Angeli, siue rationales vt homines, siue corporales, vt corpora cœlestia vel elementa, & omnia quæ sunt in cœlo & in terra; siue damnati, siue beati, quæ omnia sunt diuino imperio subiugata, gloriosæ Virgini sunt subiecta: Ille enim, qui Filius Dei est, & Virginis benedictæ, volens, vt sic dicam, Paterno principatui quodammodo principatum æquiparare maternum; Ipse, qui Deus Serm. 5. c. 7. erat, Matri famulabatur in terra; Vnde Lucæ secundo capite scriptum est de Virgine, & glorioso Ioseph; *Et erat subditus illis*. Præterea hæc est vera, diuino imperio omnia famulantur & Virgo; Et iterum, hæc est vera, imperio Virginis omnia famulantur & Deus, &c. Ex his omnibus apertissimè claret, quòd Mater Iesu Christi Maria, hęreditario iure, omnium quæ sunt infra Deum, habet regale dominiū, & inclytum obtinet principatum. Hactenus S. Bern. Sen. S. Bernard. serm. 2. in Missus est.

D. Bernardino iungam sanctum Bernardum; ambo enim sanctissimæ Virginis dilectissimi extitere laudum peruulgatores; subditur (ait ille) Matri, qui æqualis est Patri. *Venit* (inquit Euangelista) *Nazareth, & erat subditus illis*. Maria se Matrem agnoscens, Maiestatem illam, cui Angeli seruiunt, nuncupat filium, nec dedignatur nuncupari Deus ipse, quod esse dignatus est. *Erat autem subditus illis*. Sed? quis? & quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi

sunt; cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, & non tantum Mariæ, sed etiam Ioseph, propter Mariam. Mirare ergo vtrumlibet, & elige vtrum amplius mireris, siue filij benignissimam dignationem, siue Matris excellentissimam dignitatem: vtrinque stupor; vtrinque Miraculum, & quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, & quòd Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. Huc vsque sanctus Bernardus.

Cùm autem temporibus beatissimæ infantiæ Saluatoris, eiusdem Virginis imperio ac principatui subiectio ista paruerit, quando erat subditus illi: temporibus inquam ipsis beatis, quibus Gubernatricis Dei officio fungebatur, ideò ad huius excellentiam altissimæ dignitatis hęc pertinere censentur.

Non ergo mirum si omnia eius imperio subiiciantur, cuius principatui Creator omnium subiici voluit: & si Electorum cura ei specialiter commendetur salutis, quæ tanta prudentiæ sanctitatis & vigilantiæ obseruantia curam egit Saluatoris.

Adhæc, ipsa in Canticis; *Omnia*, inquit, *poma noua & vetera seruaui tibi, dilecte mi*; Cùm itaque per poma, peccatores designentur, per pomum enim in Adamo peccatum intrauit in mundum; seruare autem idem sit, ac custodire, regere, & conseruare: rectè se vtriusque testamenti electorum salutis seruatricem à Deo constitutam asserit, ex quo illam Deus in Matrem, non dimidiatam vt dictum est, neque partitam aut diuisam, sed veram, integram, atque perfectã, id est Matrem simul ac Nutricem & Gubernatricem Verbi sui elegit.

Cantic.

Tandem Christus Petro commendans Ecclesiam, & omnium Pastorem, Ducem, ac Rectorem animarum illum constituens, prius de amoris, dilectionis, ac charitatis virtute interrogauit illum; *Simon Ioannis*, ait, *diligis me plus his?* Cui Petrus, *Tu scis Domine, quia amo te*: Et Christus, *pasce agnos meos, pasce oues meas, &c.* Hoc autem factum est per ter, ita vt trinam responsionem haberet trina interrogatio, quo indicio declaratum est, Pontificem Patrem, Nutritiumque

ſeu Nutritorem, atque Rectorem eſſe animarum, populique ſibi commiſſi Directorem & Gubernatorem; nam quos in Chriſto Ieſu, per Euangelium genuit, verbo prędicationis, ac Sacramentorum adminiſtratione enutrit, exemplo tandē probatæ virtutis, Conciliiſque, Legibus ac præceptis, gregem cuſtodit, fouet, protegit, viſitat, defendit, & gubernat, quem diligit, vt Pater filios, tenerrimè amat vt nutrix alumnos, & ſingulari charitate proſequitur, vt Paſtor & Rector populos, ita vt in illis Chriſto poſſit reſpondere, *Tu ſcis Domine quia amo te, &c.*

Videtur autem & non incongruè, dignioris excellentiæ, excellentioriſque dignitatis Paſtorem paſcere, regere, & gubernare, quàm gregem ipſum; Illa ergò, quæ Regem Regum, Dominum Dominantium, Paſtorem Paſtorum, Patrem Patrum, omnium viuentium Nutritorem, vniuerſi Conditorem, & Rectorem, Epiſcopum animarum noſtrarum concepit, peperit, aluit, rexit, & gubernauit, nonne & potioris prærogatiuarum iuris dignitatibus extolletur? Ita ſanè, eſt enim Mater pulchræ dilectionis, & plus omnibus dilexit, plus Petro etiam, quæ vndecim amoris erga Chriſtum gradibus ſupra omnes electos refulſit.

Dilexit enim Chriſtum vt amicum, fratrem, & ſponſum; dilexit, inquam, illum vt filium, primogenitum, & vnicum; dilexit iterum ipſum vt in natura aſſumpta ſibi ſimilem, omnibus virtutibus donis ac gratiis decoratum, & ſummum benefactorem ſuum; dilexit tandem eum, vt filia Patrem, & creatura Creatorem. His vndecim ſacræ Virginis Deiparæ 1. Reg. 18.
in Chriſtum dilectionis gradibus, pretioſiſſima ſummæ & integræ Maternitatis eius dignitas valde commendatur.

Primo namque gradu, amicitiam Ionathæ erga Dauid ſuperauit, quæ non ſolùm veſtibus corporalibus, ſed & propria carne illum induit, arma quoque dedit illi, quibus in paſſione cum dracone & morte præliaretur & vinceret: quando in lacte Nutritionis ſanguinem adminiſtrabat ſalutiferæ paſſionis, fundebat in lactatione quod funderetur in paſſione; Quando, inquam, fluebat ex vberibus, quod flueret ex vulneribus, & in charitate non ficta fundebatur, quod

in charitate perfecta funderetur, copiosáque fiebat lactatio, vt copiosa fieret nostra redemptio; conglutinabatur tunc anima Virginis sanctissimæ animæ Christi, & diligebat eum plusquàm animam suam, anima enim plus est vbi amat, quàm vbi animat. O beati amici gaudete & exultate, lætamini in lætitia cordis vestri, & delectamini in gaudio animarum vestrarum, pretiosa in conspectu Domini beata hæc amicitia: Memoria vestra in compositione odoris facta opus pigmentarij in omni ore quasi mel memoria amicitiæ huius, & vt musica in conuiuio vini, in conuiuio lactis, & in conuiuio Regis bibentis vinum cum lacte suo. Beati qui vos viderunt & in amicitia vestra collocati sunt? quàm infinitus est Thesaurus huius amicitiæ, qui eo vsi sunt, sanè participes facti sunt amicitiæ Dei, & amicitiæ Matris eius Mariæ Virginis. Quis mihi dabit pauperculo esurienti fragmentulis conuiuij huius vesci, & de micis quæ cadunt de mensa Dominorum meorum saturari, O vtinam optatum veniat.

Arnoldus Barrbeus de partu mul. ægypt. c. 5. Deliciosissimas ac tenerrimas secundi gradus exprimit ipsa delicias cùm ait; *Quis mihi det te fratrem meum, &c. Sugentem vbera, &c. Vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat, &c.*

Plautinus & Plautininus vnico partu nati, ab obstetrice muliere ita mutuis amplexibus sunt ad inuicem constricti inuenti, vt primo intuitu vnicus crederetur natus infans, & in tantum exindè in vita sua dilexerunt se, vt in morte quoque non sint diuisi, vna die vita functi; vnoque sepulchro conditi, qui in vita cùm vnus esuriret, alius quoque esurie premeretur, nec ridere poterat iste cùm fleret alius: sed si hoc mirabile quidem in natura videre licuit, & si credere fas est; aliud sanè supra naturam mirabilius veneramur. In vtero namque Virginali naturam diuinam & humanam ita mutuis amplexibus copulatas cernimus, vt vnico partu Virgo benedicta Deum nobis protulerit & hominem, quem Virgineo Virginalium vberum lacte nutriuit, & toto beatissimæ Infantiæ tempore mirabiliter gubernauit. Cùm autem per communicationem idiomatum, quod de vno dicitur, de altero quoque referatur, flente isto, flet & alius, comedente

come-

Digitized by Google

comedit, esuriente esurit, patiente patitur, moriente moritur, vnicoque conduntur sepulchro; vt fratrem itaque diligebat, qui per eam, & ex ea frater noster fieri dignatus est, quam sororem appellat; *Veni*, inquit, *amica soror mea*, *&c.*

Tertio gradu, omnem sponsalem prorsùs amorem excedit, nam cor vnum, & anima vna, & vna caro, erant Christus & Mater Virgo; cùm ex cordis purissimi eius, purissimis eiusdem sanguinis guttis, cor sibi, & corpus Verbum assumpserit. Cùm ergò ex corde Virginis, cor Christi assumatur; Quis denegabit Virginem cum Christo vnum cor extitisse? Inuenit Christus Mulierem secundùm cor suum, quæ fecit omnes voluntates eius, etsi itaque nusquam Deus secundum cor nostrum inueniatur esse ob defectus cordis nostri, Mariæ solius priuilegium est immaculatæ, vt secundum etiã cor eius, Christus inuentus sit.

Quarto gradu, quintóque & sexto omnium matrum in filios amorem exuperauit, & nulla inter mulieres inuenta est similis illi, nec Sara in Isaac, nec Rebecca in Iacob, nec Anna in Samuelem, nec ea quæ fuit Vrię in Salomonem, nec ipsa, quæ pro filio coram Salomone contendebat, cuius cõmota sunt viscera super eo, simili amore exarsere, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Septimo, octauo, denique & nono pariter gradu excelluit, cùm enim similitudo in natura summopere amorem augeat; sicut Pater in Æternitate Filium per omnia sibi æqualem, secundum diuinitatem immensè diligit: sic amabat Christum Filium suum sibi per omnia in natura assumpta similem diuinissima Virgo.

Insuper, quòd sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior Cœlis factus, Spiritus sancti donis omnibus ac gratiis exornatus, & plenitudine diuinitatis corporaliter etiam repletus erat Christus, eiusdem Beatissimæ Virginis Matris amorem summè illiciebat; Dilexit iterum illum, vt summum benefactorem suum, recolendo namque singularia summæ & integræ ac perfectissimæ Maternitatis suæ beneficia; Matris videlicet, Nutricis, Gubernatricisque Dei & Virginis perpetuæ, cernens

E

Digitized by Google

ſe gaudia Matris habere cum Virginitatiś honore, non potuit ab amoris impetu præpediri, nec amor Iacob in Ioſeph, Patris Fratrumque benefactorem liberaliſſimum apud Ægyptum huic valuit comparari.

Amorem poſtremò Romanæ Mulieris erga Patrem, quem carcere detentum proprio lacte pauit, Virginis amor in Chriſtum ſuperauit. Nam Patrem ſimul & Creatorem, Deumque ac Dominum ſuum Virginali vtero nouem menſium tempore clauſum, proprio ſanguine nutriuit, ac Virginalium vberum lacte in cunabulis, aluit & educauit.

Sed & illum tandem ex toto corde, ex tota anima, mente, & viribus vt Deum ſuum dilexit, legiſque amoris perfectiſſimè obſeruantiam coluit: dùm ſubmiſſionis, reſignationis, conformitatis & transformationis Deificæ gradibus, in colenda charitate excelluit.

Cùm enim cor noſtrum Deus ipſe, non in pedibus, qui terram & lutum tangunt, ne terrenis affectibus implicetur; non in genibus, quæ ante Reges & Magnates flectuntur, ne diuidatur: non in manibus, quæ nummos aureos & argenteos ſolent tangere, tractare, & numerare, ne corrumpatur; non in medio corporis, ne cum corpore ipſo moriatur; ſed in capite collocarit, vbi anima principaliter reſidet, cuius tres potentiæ memoria, intellectus, & voluntas aſſignantur; Voluntatis verò actus, amor eſt, & amor ſit proprie cor illud nobile quod requirit Deus; Sanctiſſima Virgo ex cuius corde, vt dictum eſt, Chriſtus ſibi cor quoque humanum aſſumpſit, ita vt amborum eſſet cor vnum & anima vna, vndecim his dilectionis gradibus exornata, ſummam ſanè charitatis perfectionem obtinuit; introduxit enim illam Rex in cellaria ſua, & in ea ordinauit charitatem, vel vt aliis placet, conſummauit charitatem.

Et ecce quibus gradibus ad apicem diuinæ dilectionis aſcendit, plus omnibus, ſanè dilexit, quàm ergò dignè, quàm iuſtè, quàm meritoriè Dei Gubernatricis dignitate & prærogatiua decorata eſt?

Quàm piè, quàm ſanctè Eccleſiæ Matrem & Gubernatricem quoque illam prædicamus?

Digitized by Google

O stupendam dignitatem? Deus Pater vnicum cum Virgine habet Filium, sed in diuinitate per omnia sibi æqualem, cui non legem statuat, nihil pręcipiat, nihil iniungat, nihilq; præscribat: Par enim in parem ius non habet; hic verò subditur ille Matri, qui æqualis est Patri. *Sit Nomen eius benedictum in sæcula. Amen.*

De pretiosissima Virginitatis Matris Dei dignitate & prærogatiua.

CAPVT VI.

GAVDIA vera & plena integra & perfecta integræ & perfectę Matris habet Maria sanctissima cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem, Reliquę namque mulieres, ex quo esse Matres cœperunt, Virgines non sunt, & si Virgines permanserint Matres esse non possunt: Marię priuilegium est, non dabitur alteri, Gloria mea hæc est, ait, & gloriam meam alteri non dabo.

Gratias ergo tibi, ô sancta & immaculata Virginitas, quia nobiscum Deus, dictum est enim: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, nobiscum Deus.*

Virgo itaque concepit, Virgo peperit, Virgo lactauit, Virgo quem genuit nutriuit, curauit, educauit & gubernauit; Virgo Virgínum præclara Matris dignitatem obtinuit, & Virginalem pudicitiam non amisit: Deum enim benedicta in æternum nobis protulit & hominem.

Reliquæ Virgines sequuntur agnum quocumque ierit, sequuntur, inquam, agnum sine macula, sed agnus ipse Virginem hanc sequitur vt Filius Matrem; si ergo reliquæ sequuntur, quibus laudibus (ait Bernard.) Iudicas dignam, quæ etiam præit? sequentes agnum illam sanè sequuntur, quam sequitur agnus.

Singulari itaque veneratione præ omnibus reuerenda

venit, quæ Angelos vincit puritate, & ſanctos omnes ſuperat pietate, ea nitens puritatis Virginitate qua maior ſub Deo nequit intelligi: quæ tam iucundum in ſua Virginitate Deo habitaculum præparauit, ac castè, piéque viuendo Spiritus ſancti Templum effecta eſt, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

Reliquæ Virgines ſequentes agnum, ab ipſo trahuntur, iuxta illud: *Trahe nos poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum*: Trahuntur, inquam, diuiniſſimo ac ſuauiſſimo ſponſi odore, aſcenduntque ad illum ſequentes ipſum: ſed trahitur, & attrahitur ille Sponſus Virginum, pretioſiſſimo immaculatæ Virginitatis odore: De ſinu Patris in ſinum Virginis deſcendit, à ſummo Cœlo egreſſio eius, vt ad Virginem veniret, & Filius Dei, Virginis quoque Filius fieri non dedignatus eſt.

Reliquæ Virgines ob Virginitatis dotem, cum Angelis comparantur: ſed Virginum Virgo Maria, Angelos vincit puritate, in his maximè ſeptem immaculatæ Virginitatis prærogatiuis.

1. Angelus purè ſpiritalis exiſtens Virginitatem quidẽ ſeruat, ſed non in carne: Virgo verò Deipara in carne mortali, eamdem inuiolabili caſtitatis voto, ac virtute planè mirabili, fideliſſimè, & integerrimè ſeruauit.

2. Simplicem tantum & vnicam coluit Angelus Virginitatem, Spiritus videlicet & non carnis: ſed Virgo Maria duplici corporis ſcilicet & animæ puritate enituit.

3. Angeli potuit maior ſub Deo puritas inueniri, puta, Virginis Deiparæ; decuit enim illam (vt ait ſanctus Anſelmus) ea puritate nitere qua maior ſub Deo nequit intelligi.

4. Angeli denique in Cœlis: ſed Maria etiam in terris puriorem Angelorum integritate Virginitatem coluit.

5. Angelus itaque ſine victoria Virgo permanſit: ſed Maria Virgo Deipara etiam coniugio, viro copulata immaculatæ Virginitatis palmam glorioſiſſimam adepta eſt.

6. Angelorum Virginitas ſemper ſterilis extitit: ſed glorioſo fœcunditatis germine Virginitas Mariæ ditata, nobilitata, & decorata eſt, gaudia enim Matris habet cum Vir-

Digitized by Google

ginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

7. Tandem Virginitas ipsa Angelorum, non meruit, vt pro angelis Angelus Deus fieret, nihilque Deo ipsi quod nō haberet contulit: sed Virgo nostra, Cuius Virginitas suo odore Verbum Patris attraxit, vt pro hominibus homo fieret, dedit (vt ait sanctus Bernardinus Senensis) æterno principio, inceptionis exordium, æternitati diuinæ temporalem periodum, infinitati immensæ quantitatem corpoream, speciositati antiquæ pulchritudinem nouam. S. Bernardinus Senensis.

Insuper omnia entia optimum ens, omnia viuentia optimum viuens, omnia sentientia optimum sentiens, omnia spiritalia optimum spiritale, omnia corporalia optimum corporale, omnes conceptiones optimum conceptum, omnes natiuitates optimum nascibile, appetebant. In Christo autem Virginis Filio, omnium adimpletum est desiderium creaturarum, ita vt cum Psalmista dicere liceat; *Omnis consummationis vidi finem*, prouisum est enim Mundo de vna fœmina quæ vnico suo partu, omnibus generibus rerum summam & vltimam perfectionem adduxit. Huc vsque sanctus Bernardinus Senensis.

Sancta nunc & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio? sanè in Deipara Virgine, hæc Virginis perpetuæ & semper immaculatæ prærogatiua altissimæ est & superexcellentissimæ dignitatis.

Quidam Sanctorum, vt ex Scripturis colligimus, serui Dei appellantur, alij Fratres Christi, alij amici, alij filij, alij tandem etiam Dij nominantur, sed Virgines, glorioso nomine sponsæ se gaudere gloriantur, sponsa namque cum sponso vna caro efficitur iuxta illud; *Erunt duo in carne vna, &c.* At veriùs est hoc de carne Christi, & Virginis Deiparæ asserere: Est enim Christus os ex ossibus Mariæ, & caro de carne eius. Deinde, si quis adhæret Deo, vnus spiritus efficitur cum illo, cùm Filio Mater præ cunctis adhæserit: Iam non vna caro tantum, sed cor vnum & anima vna, vnusq; spiritus Christi & Mariæ Virginis erit; at cùm (vt supra memoratum est) qui iam Patrem habebat in æternitate sine

Matre, Matrem habere voluerit in tempore fine Patre, Virginem illam decuit esse, Virginitatémque oportuit eam colere, per quam bonis omnibus repleti sumus; vndè & amicam vnicam Columbam, totam pulchram, immaculatam, sororem & sponsam vocat in Canticis; quam in Matrem elegit Virginem sanctissimam ipse Christus, ex quo Virginitatis prærogatiua summoperè commendatur.

Tandem reuocando quæ diximus, Virgines dicuntur agnum sequi quocumque ierit, & quidem benè, Virgines enim sunt, nam licet quidam Sanctorum Christum vsque ad Crucem, alij vsque ad bonorum omnium expoliationem, alij vsque ad verbera, ignes, carceres, & vincula, alij vsque ad propriæ pellis excoriationem, alij tandem vsque ad tertium Cœlū, vt Apostolus ipse, sequuti sint; Veruntamen verbum istud, *Quocumque ierit*, non paruum Virginum designat priuilegium, sed reuera Mater ipsa, quæ Virgo Virginum est, Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore; quæ, inquam, Angelos vincit puritate, & sanctos omnes superat pietate, & quam decuit ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi: Iustè & meritò vt Regina à dextris Filij astitit in vestitu deaurato charitatis, circundata varietate meritorum immaculatæ Virginitatis: vsque ad Thronum ergo Sanctissimæ Trinitatis Filium sequuta est in Cœlis, quam in terris sequebatur filius ipse vt Matrem, vsque ad thorum integerrimę puritatis.

Continuatio & extensio Capitis.

QVod de gratiæ Mariæ Virginis plenitudine asserit sanctus Hieronymus, hoc & de eiusdem immaculatæ Virginitatis puritate duxi, & non incongruè, sentiendum. *Sanct. Hier.* Gratia (inquit) cæteris sanctis per partes præstatur; in Mariam verò omnis gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit quamquàm aliter: sic puritas cæteris Virginibus, per gradus & partes pręstatur, sed Virginem Deiparam decuit ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi; Ergò

Digitized by Google

omnem immaculatæ puritatis plenitudinem, quam Deus ipse puræ creaturæ conferre potuit, huic sacratissimę Virgini conuenientissimè decuit contulisse; quod & quibusdam sacræ Scripturæ annotationibus euidentius patebit.

Nihil coinquinatum (ait Ioannes Apostolus) *intrabit in Regnum Cælorum*: Et benè quidem. Nam cùm Deus sit prima summaque, ac æterna & immensa puritas, nihil coinquinatum admittit; Ideò Angelos Virgines in Cœlo creauit, vt iugiter in conspectu diuinæ Maiestatis eius stantes, audirent verbum eius, & facerent voluntatem eius. Ideo quoque Christus, qui de Cœlo venit, & super omnes est de Virgine natus, inter Discipulos ampliori dilectione Virginem Ioannem dignum effecit: cui Virgini Matrem Virginem in Cruce commendauit. Ideò insuper castos Apostolos elegit, qui dimissis vxoribus, si quis eorum eo tempore vxorem habuerit, iugiter in eius pariter conspectu starent, audientes verbum eius, & facientes voluntatem ipsius: Ideò tandem Ecclesiæ suæ Sacerdotes, castitatis cœlibatu & vnctione purissimi olei sacros esse voluit, & sacratos, vt ad instar Angelorum Dei, Apostolorumque Christi, in conspectu Diuinæ Majestatis diuinas laudes dignè persoluerent, sacramenta purissima purè administrarent, & sanctum sacrificium ac immaculatam sacratissimi Corporis Christi hostiam offerrent.

Ergò si propterea Angeli, Apostoli, & Sacerdotes, in conspectu Dei stantes, castissimi ita eligantur, vt licet etiam electi ipsi Apostoli, plurimis ac variis aliis vitiis, ante missionem & descensum Spiritus sancti, subiecti extiterint, vti in Petro, Thoma, Iuda proditore, filiis Zebedei &c. videre licet: nullus tamen illorum vitio libidinis subiacuerit: quanta putamus immaculatæ puritatis dignitate excelluerit Virgo benedicta, quæ non solùm iugiter in conspectu Dei, & Domini, sed & Filij simul sui dilectissimi stetit, & cui non tantum prouidè seruiuit, sedulò administrauit, ac humilem, sed & assiduum famulatum exhibuit, sed etiam ante cuius conspectum Christus ipse Deus noster in omni reuerentia stetit, vt Filius ante Matrem, cui Verbum ipsum propter nos

caro factum obediuit, cui seruiuit, cui administrauit, vt Filius Matri: Cuius ante sic conspectum in omni humilitate stando audiebat attentius verbum eius, vt diligentius faceret voluntatem illius? Sanè decuit Virginem illam sacram ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.

Ad hęc sanctus Augustinus; Stabat Christus cum omni reuerentia & humilitate coram Matre Virgine, audiens verbum eius, vt faceret voluntatem illius. Sed quis intellectus capere sufficit, quę, qualia, & quanta fuerunt inter eos colloquia? quàm amabilia? quàm dulcia? quando in Matre imperante fulgebat Virginitas, & lætabatur fœcunditas: in Filio obediente ac subdito apparebat humanitas & lætabatur diuinitas? quantum vel quale illud erat Deificum ac Virginale consortium, non dico nostrum, sed & omnium Angelorum excedit intellectum. Hactenus sanctus Augustinus.

Insuper, in diuinis, Spiritus velut sterilis & infœcundus cernebatur. Solus enim Pater generat Verbum; Pater denique & Verbum producunt Spiritum sanctum, qui velut à Patris & Verbi fœcunditate alienus videbatur, donec in Mariam superueniret, ac in ea Sacrosanctum Incarnationis mysterium & ipse fœcundans Virginem operaretur, ac in ipsa tantarum virtutum donorumque & gratiarum germina produceret; sicque in Virgine ipsa sacra mirabili fœcunditatis germine, & ipse quodammodo floreret.

Tandem Virginitate ipsa Mariæ sanctissimę vera salutis libertate donati sumus, quod & in figuris Deus ipse olim Abraham promiserat; quando à seruitute dura Ægypti, libertatem populi Israël ei prædixit. *Scito*, inquit, *prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo. Et post hæc, egredientur cum magna substantia, tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona; Generatione autem quarta reuertentur huc, &c.* Mysterium autem hisce verbis naturæ salutiferæ libertatis per Christum ex Maria Virgine ortum prędictũ agnouimus; prima etenim generatio fuit in Adamo sine

fine Patre, & fine Matre, fecunda in Eua à viro fine muliere tertia in nobis à Patre & Matre, quarta vero in Christo Domino à muliere fine viro, qua vero salutis libertate donati sumus, itaque vt ait Apostolus, non sumus amplius serui, sed liberi, qua libertate Christus nos liberauit.

Conclusio Capitis, continuationisque, & extensionis eiusdem.

O Certè stupendum Virginitatis Mariæ Miraculum! O miræ virtutis immaculatæ puritatis Deiparæ portentum mirificum! In via primi hominis euntes electi, hoc est, in iniquitatibus concepti, & in peccatis, quibus vnumquemque illorum concepit mater sua, euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, quarta autem hac virginea & fœlicissima generatione prædicta reuertentes, & venientes, veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos, redemptique à miserabili seruitute peccati, iam non sunt hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorum, & domestici Dei.

Hoc fecit Dominus nouum super terram, quod Propheta prædixerat, & mulier circumdedit virum, verè nouum (vt ait sanctus Hieronymus) & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, vt viuere possit, sic ingressus est hospitium ventris Virginis, vt corporis claustrum nesciret; sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset, & sic exiuit indè, vt esset, sicut Ezechiel sanctus testatur porta omnino clausa, &c. *S. Hieron.*

Pulchrè autem Ioannes Apostolus, Virgo iste dilectus Discipulus, cui Virgini Matrem Virginem Christus Virgo in Cruce commendauit, Virginis Sanctissimæ Deiparæ, immaculatæ puritatis fœcunditatem & fœcunditatis Virgineæ eiusdem Virginalem integritatem demonstrat, quando Virginem ipsam sacram sole amictam se vidisse testatur.

Signum magnum, inquit, *apparuit in Cælo, Mulier amicta sole, &c.* Sol namque Virgo permanens, nec vnquam aliū solem sibi similem in natura generans, omnia fœcundat, &

Digitized by Google

cum omnibus generationibus concurrit, vt in ipsa Virginitate, etiam glorioso fœcunditatis germine quodammodo glorietur: Sole ergo mulierem illam indutam aptissimè vidit Discipulus dilectus, ex qua ortus est Sol Iustitiæ Christus Dominus noster: quæ Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum permanens, non solùm glorioso Virgineæ fœcunditatis germine Deum nobis benedicta in æternum protulit & hominem, sed & ad omnium Electorũ in Christo salutis conceptiones & natiuitates concurrit; Omnes enim, vt in aliis Tractaculis dicetur, nos in ipso concepit, genuit, aluit, & educauit ad salutem? Gaudia, itaque ampla & maxima Matris habet cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Reliquæ Virgines, vt diximus, Agnum solem ipsum Iustitiæ sequuntur, etsi quodammodo eodem sole vestiri dicantur, quando in eius lumine ambulantes, ita luminis eiusdem fulgore irradiantur, vt libenter ipsius amore Virginitatis statum, publica etiam professione, ac solemni ritu, amplectantur, nulla tamen illarum solem ipsum, hoc est, Christum, sua carne vestiuit, nulla Deum genuit: nulla, inquam, in ipsa Virginitate sua, in vtero virum circundedit, nullaque cum Virginitatis honore, Maternitatis gaudia iunxit; Mariæ priuilegium est, non dabitur alteri; ideò nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

O sancta ergo & immaculata Virgo, quibus te laudibus efferam nescio? Tu sola inter puras incontaminata, inter castas inuiolata, inter mundas intemerata, inter virgines immaculata, inter Matres Virgineæ prolis fœcunditate nobilitata, & inter mulieres benedicta manes, & merito beata prædicaris.

Sacrosancta itaque & indiuidua Trinitati, in Virginitate tua operis magnitudini, celsitudini & profunditati, fœcunditatis tuæ integritati, & integritatis fœcunditati, sit sempiterna, laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura.
Amen, Amen.

QVOD DIGNISSIMA DEIPARA *ex eo quòd non dimidiata, neque partita, aut diuisa, sed vera, integra & perfecta Christi Domini Saluatoris Mater, hoc est, Mater simul & Nutrix ac Gubernatrix, Virgoque perpetua extiterit, cunctas hæreses sola in vniuerso mundo interemit, ostenditur.*

CAPVT VLTIMVM.

VNA *Mulier Hebrea fecit confusionem magnam in domo principis iniquorum, impiorúmque, & hæreticorum omnium, in hoc enim,* ex Maria Virgine *apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli,* vt qui in Muliere vicerat, à muliere vinceretur, per Christum Dominum nostrum, ex quo enim Virgo Deum genuit, lactauit, & educauit, caput serpentis contriuit, ac cunctas hæreses sola, in vniuerso mundo interemit.

Ipsa est sanè quondam à Deo promissa mulier (vt ait sanctus Bernardus) Serpentis antiqui caput contritura, cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa; sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatē. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatisabat: Alius paruulum non peperisse, sed reperisse sibillabat: Alius post partum viro cognitam blasphemabat; Alius Dei Matrem audire non sustinens; Magnum illud nomen *Theotocon* impiissimè sugillabat; sed contriti sunt insidiatores, conculcatores, confutati derogatores, & beatam illam dicunt omnes generationes. Hactenus sanctus Bernardus. *S. Bernard.*

Dùm Virgo, ait sanctus Bernardinus Senensis, totam veritatem Dei sic concepit, quòd esset etiam ipsius genitrix veritatis, cunctas hæreses sola, à serpente antiquo tanquam *S. Bernard. Senensis.*

Digitized by Google

à Patre mendacij prouenientes, in vniuerso mundo interemit, &c.

Quando tandem eum, qui ait, *Ego sum via, veritas, & vita*; Virgineo partu mundo edidit, omnem hæreticam prauitatem à via veritatis, à veritate Dei, & à vita æterna aberrantem, fugauit, extinxit, & interemit.

Veniant nunc hæretici, eius intercessionis meritum, virtutem, & efficaciam, sanctorúmque orationum auxilia reiicientes; ipsi quoque conculcati, confutati, & contriti penitus, ac interempti iacebunt, ait enim Christus; *Pete Mater mea, non enim fas est vt auertam faciem tuam*: *Quidvis & quæ est petitio tua, etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi*; hæc namque à Salomone & ab Assuero Regibus Matri & Sponsæ dicta *in figuris*, vt ait Apostolus, *contingebant*, quæ in veritate, in Christo, & in Virgine Matre adimpleta extiterunt.

Quanam infœlicitate donata est tunc, quando ad cœlestem patriam à filio euecta, astitit Regina à dextris ipsius Regis Regum filij sui, in vestitu deaurato consummatæ charitatis, circundata. Varietate meritorum, vt non sibi, nec os quidem aperire liceat, pro suis orare, nec quidquam à filio pro electis viatoribus petere, quæ in huius vitæ statu, & spiritualem sanctificationis Baptistæ Præcursoris gratiam, sua præsentia, sua voce, suoque beatissimæ Visitationis beneficio, attulit: & vinum non habentibus in nuptiis Galileæ, corporalem Christi gratiæ amplitudinem, largamque benedictionem sua intercessione obtinuit?

Num nunc illam cum filio regnantem roganti posset ita respondere? Ne me depreceris, cum enim adhuc essem in valle lachrymarum; ita eram fœlix, potensque, & beata, vt quidquid à filio meo peterem, obtinerem: nunc verò, ex quo ad eius dexteram sedeo, ita infœlix, impotens, misera, & miserabilis euasi, vt nec quidquam petere audeam, nec vllam amplius virtutem habeam obtinendi; hoc certè est absurdissimum, & nefas omninò cogitare.

Petiit Petrus, petierunt Apostoli à Christo sanitatem. *Socrus eiusdem Simonis, quæ tenebatur magnis febribus*, dicitur

enim; *Et rogauerunt illum pro ea; ipséque statim imperauit febri & dimisit eam. Petierunt item & rogauerunt pro Chananea* dicentes; *Dimitte eam quia clamat post nos:* Et ipse postulatum concessit, sic item pro Centurione & petierunt, & rogauerunt; *Dignus est vt hoc illi praestes; diligit enim gentem nostram, & ipse Synagogam ædificauit nobis, &c. Et sanatus est subitò puer Centurionis;* Cùm, inquam, essent Apostoli adhuc peccatores, erant etiam deuotissimi & fœlicissimi precatores, nunc verò nonne ô fœlicitate illa deciderunt? O nefarij homines hæretica sua prauitate, Matrem Dei, Sanctósque cœlestis patrię ciues, tanta infœlicitate percidentes, tantáque blasphemia ferientes.

Petierunt Dæmones à Christo facultatem intrandi in porcorum corpora; *si eiicis nos, inquiunt, mitte nos in porcos*, & concessum est illis. Petiit item, Diabolus licentiam & potestatem affligendi Iob, & obtinuit.

Petiit & rogauit Diues Epulo, cùm adhuc esset in tormentis pro quinque Fratribus; Petunt (inquam) qui non sunt de hoc mundo, qui non sunt de corpore nostro, de membris Christi, de eius Ecclesiâ: & hæc ipsa potestas, gratiaque petendi & orandi pro salute fratrum & amicorum denegabitur sanctis? absit. Ab hoc Mater Dei non priuabitur beneficio petendi, cui dicitur; *Pete Mater mea: non enim fas est vt auertam faciem tuam.*

Plures ergo intercessionis mediatores erga vnicum Redemptorem & redemptionis mediatorem habet Ecclesia, sed hæretici sanctorum merita abiicientes, vt solum Christum quærentes inueniant, diaboli vestigia sequũtur, & eius doctrinam sectantur. Qui solus legitur solum ipsum Christum in deserto ieiunantem inuenisse; Alibi enim Christus, vel in societate dilectissimæ Matris & sancti Iosephi, vel in medio Doctorum in Templo, vel cum Apostolis, ascendendo & descendendo ad turbas, &c. Inueniebatur, nunc verò in Cœlis regnantem, in cuius conspectu vidit dilectissimus Discipulus, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni tribu & populo, & lingua, & natione, &c.* Solùm illum quærere, vt inuenire contingat, hæreticorum est

Diaboli veſtigia ſequentium, ſectæ maximè Caluiniſtarum.

Ipſi caudam Draconis velut equum conſcendentes (Draco namque caudam, qua tertiam partem Stellarum Cœli traxit in terram habere deſcribitur) eius ſpiritu ducuntur, eius impetu rapiuntur, & dorſi eiuſdem crepidine peruehuntur.

Sed Draco iſte, qui vt in Apocalypſi habetur, *ſtabat ante mulierem, proiectus eſt in terram*, vt ait Scriptura. Contritus eſt itaque inſidiator, conculcatus eſt ſupplantator, & omnis exercitus eius proſtratus eſt, caput namque Serpentis Virgo Deipara contriuit, & cunctas hæreſes ſola in vniuerſo mundo interemit, ex quo Virginitatis gloria permanente, Ieſum Chriſtum Redemptorem mundo effudit.

Sacramentariorum quoque ſectam proſtrauit, dùm omnium authorem Sacramentorum, quibus & Eccleſia nutritur, & ſalus electorum ſtabilitur, Deum nobis protulit & hominem Chriſtum Ieſum. Vt enim omnia & ſingula ad vnius excellentiam redacta, in vno excellentiſſimo comprehendamus, cũ ſancto Bernardino Senenſi dicimus; quòd de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius exciſa conſiſtit, perficitur, & terminatur totum decus & pondus Sacramentorum Eccleſiæ Dei; certum eſt enim quod omnis inſtitutio Sacramentorum, & omnia alia Sacramenta, tanquam in vltimum finem, & ad illud Sacramentum omnium Sacramentorum excellentiſſimum, quod eſt Euchariſtia, ordinantur.

s.Serm.Sen.

Quando ergo Chriſtus dixit, *niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, id eſt, Filij Virginis, (totum enim quod ex homine habuit, ex Virgine aſſumpſit) *& biberitis eius ſanguinem*, &c. fidem ſtatuit, qua Sacramenta à nobis credi, & accipi & venerari voluit.

Hæretici autem nec credunt, nec ſuſcipiunt, nec venerantur illa; immò veritatem & ſanctitatem oppugnant omnium, cùm eius, ad quod tanquam ad vltimum finem cuncta ordinantur, realitatem reiicientes, malunt Iudæi cenſeri, quàm Chriſtiani computari.

Iudæi namque manna, panem ſeu cibum ſpiritalem ap-

pellabant, & aquam de petrâ potum ſpiritalem nominabant, ex vno aliud intelligentes: vndè Apoſtolus; *Omnes,* inquit, *eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt,* &c. In tali autem cibo nulla tranſmutatio, nulláq; miraculoſa fiebat transſubſtantiatio, ſed manna manebat; id quod erat, & aqua ſimiliter: ſic eſt, & ſic fit in cœna Caluiniſtarũ, panis namq; & vinum manent quod ſunt, ſine vlla ſui mutatione, nec ibi fit miraculum tranſſubſtantiationis, & tamen quod ſumunt cibum potúmque ſpiritalem appellant: dicuntque ſe ex vno aliud intelligentes, carnem Chriſti ex pane, & ex vino ſanguinem eius tanquam ex ſigno & figura ſpiritualiter accipere & ſumere: At, Chriſtus, viuo, acutiſſimóque verbi ſui gladio, hanc hæreticam prauitatem interimens, ait; *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, &c.* Non ergo ſicut, quia alio modo: Manna enim ſignum & figura huius veritatis erat.

Ergo apertiſſimè hæretici, in cœna ſua ſe Iudaïſare oſtendunt: & inſuper Capharnaïtarum ſpiritu ducuntur, dùm Chriſti veram carnem veraciter ſumere abhorreſcunt, & ſic fidem tanti tamque admirabilis Sacramenti deſtruunt, ac penitus abolere conantur.

In hoc autem ex Virgine, *apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli,* opus namque Diaboli illud fuit.

Primò, quod aliena pelle, ſerpentis ſcilicet, induit ſe. Secundò, aſcendit in arborem. Tertiò, fructum arboris mulieri porrexit. Et tandem fidem ab ea abſtulit, dum verbis diaboli credidit illa dicentis, *Nequaquam moriemini, &c.* Non enim credidit Deo, ſed adhæſit Diabolo. Et ideò, vt vndè mors oriebatur, indè vita reſurgeret, *Verbum caro factum,* aliena pelle induit ſe, & maximè dùm humanitatem ſimul cum diuinitate ſub ſpecibus panis & vini occultauit; itaut dicat Propheta, *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator,* &c. Deindè Crucis Arborem aſcendit, tertiò fructum arboris talis ſe comeſtibilem exhibuit, tandem fidẽ tanti Sacramenti ſtabiliuit, & ait; *Panis quem ego dabo caro mea eſt, &c.* Et panem porrigendo; *Accipite,* inquit, *& manducate: Hoc eſt Corpus meum:* poſtremo, *niſi manducaueritis*

Digitized by Google

carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam, &c.

Mulier ergo prima per esum fidem perdidit, dùm verbis Diaboli credidit; Mulier secunda verbis Angeli fidem dedit, & fructum vitæ accepit, concepitque de quo dicitur, *Benedictus fructus ventris tui*; cuius Sacramentalem corporis Communionem, post missionem Spiritus sancti in dies dignissimè sumpsit, & cuius tanti, tamque salutiferi Sacramenti fidem, in cordibus fidelium firmissimè ac sanctissimè suæ virtutis, pietatisque, deuotionis, & sanctitatis exemplo conseruauit.

Itaque ex quo, ait Apostolus, *beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, ad imitationem Virginis gloriosæ, fideles impolluto ore, immaculata anima, incontaminata fide, ac deuotione integra, ad tanti Sacramenti sumptionem accedunt.

Hæretici verò infidelitatis & hæreticæ prauitatis tenebris obuoluti, se spiritaliter tantum memoriam & commemorationem celebrare, sine vlla realitatis veritate; sine, inquam, vlla veritatis realitate verborum Christi, Catholico, ac verissimo sensu abutentes se spiritalem huius Sacramenti recordationē colere gloriantur, contra quos, ait ipse Christus; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus; qui manducat & carnem meam bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Sensus namque verus & Catholicus verborum Christi, (*hoc facite in meam commemorationem*) non realitatis veritatem excludit, immò ipsiusmet veritatis realitatem constituit. Sicut enim manna, quod erat in arca, & arca ipsa, & virga Aaron, & tabulæ legis; erant sui ipsius viua ac vera memoria, cùm populus per illa ad memoriam reuocabat beneficia sibi à Deo per arcam ipsam legémque & virgam collata: sic in Eucharistia, corpus Christi est sui ipsius memoria, & recordatio. Sicut Petri per eius præsentiam hodiernam quem olim vidi, agnoui, & dilexi, recordor. Sic solent homines per eundem solem hodiernum, cuius luminis & caloris beneficio fruuntur, eiusdem cuius item lumine & calore

Google

calore diebus præteritis potiebantur recordari: quibus patet quomodo corpus Christi sui ipsius sit memoria, &c.

Cùm autem in cœna hæreticorum nulla veritas sit realitatis, nullaque realitas veritatis præsentiæ corporalis Christi; benè assimilantur ei, qui in lecto suo media nocte vndique tenebris densissimis obuolutus, diei præteritæ, solisque recordatur; hæc est, & talis celebratur in cœna hæreticorum commemoratio corporis Christi alienati à veritate Dei, sicut alienus est à Sole qui eius media nocte recordatur.

Assimilantur item rebellibus his, qui Regem suum ad se venturum sentientes, & litteris seruitutis iura offerentes, maiestatis autem præsentiam abhorrentes, per nuntios sic loquuntur: *O Rex Serenissime! Dominum nostrum te ac Regem esse scimus, tibi libenter seruitutis nostræ iura offerimus, sed tuam corporalem præsentiam apud nos nolumus; Maneas ergo in Palatio tuo Regio, in Regia ipsa ciuitate tuâ, tantum mente, & spiritu ad nos venias, & non corporaliter; si enim veneris omni te probro, despectu, & ignominia afficiemus.* Ita hæretici de Christo sentiunt, dùm illum sic ad dexteram Patris ascendisse dicunt, & sic ibi manere asserunt, vt nullomodo hic etiã apud nos corporaliter esse possit; & licet se Christianos, Christique speciales seruos nouæ reformationis secta profiteantur: Ita tamen horrendo in Eucharistiam odio, corporalem eiusdem Christi præsentiam prosequuntur, vt illam omni irreuerentia vsque in præsentem diem affecerint; canibus namque Sacramenta corporis Christi proiecerunt cum Donatistis, Ecclesias ad vastitatem reduxerunt, altaria destruxerunt, vasaque sacra horribiliter prophanauerunt, nostra enim tempestate talia horribilia vidimus.

Nos autem Catholici carnem ex Virgine semper immaculata à Verbo assumptam in Eucharistia adoramus & cum Christo ipso dicimus; *Et ecce plusquam Salomon hic*: Salomon enim omni sua sapientia, ac potestate Regia, non potuit duabus matribus pro vnico filio coram se contendentibus, vnicum filium ipsum sine diuisione tribuere, *Afferte, inquit, mihi gladium, diuidite infantem, &c.* Christus enim

Digitized by Google

& seipsum viuum Ecclesiæ triumphanti, in qua sedet ad dexteram Dei Patris, & Ecclesiæ pariter militanti, in qua à fidelibus plena ac viua fide in Eucharistia adoratur, mirabiliter dedit, quando dixit; *Ascendo ad Patrem meum, &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Vnde sanctus Pater Augustinus super illud quod ait Saluator. *Videbitis cœlum apertum, & angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* Si ad eum (ait) ascendunt & ad illum descendunt, profectò & sursum est, & hic est, nullo enim pacto fieri potest, vt ad illum ascendant, & ad eum descendant, nisi & ibi sit, quo ascendunt, & hic pariter sit, quo descendunt, &c.

Absit ergò quòd in ipsa sua nequitia temerè & impudenter verborum Christi sensum verum peruertentes, audent affirmare hæretici, videlicet spiritualiter tantum, hoc est, mente, non verò corporaliter Christum in Eucharistia contineri iuxta illud. *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt: caro non prodest quidquam, &c.* Spiritalitas namque realitatem non excludit; Immò ipsiusmet realitatis veritatem verba Christi stabilire & confirmare cognouimus.

Sicut enim anima mea, quæ spiritus est, in corpore meo spiritualiter est, spiritualiter (inquam) simul & realiter, cuius quidem reali præsentia & motum & sensum operationémque mouendo, sentiendo, & operando, me habere ostendo. Ita est de Christi reali præsentia in Eucharistia; Diuinitas namque spiritus est, anima, spiritus est, corpus spiritale est. *Est enim,* ait Apostolus, *corpus animale, & est corpus spiritale: seminatur corpus beatorum animale, surget corpus spiritale, &c.* Corpus autem Christi resurrexit, ergò corpus spiritale est.

Deindè quatuor spirituum beatorum dotibus ab ipso primo Incarnationis Dominicæ instanti, dotatū, & ditatum extitit, erat enim vnitum animę Christi beatę, vnde & claritatis in Thabor, & subtilitatis in Natiuitate, & in Resurrectione, & agilitatis, quando ambulauit super aquas, & impassibilitatis, quando per medium illorum, qui illum volebant lapidare, transiens illæsus ibat, dotibus Christus vsus est,

Cùm ergo in Christo omnia sint spiritalia, verbum verò veritas sit & vita; Caro autem & anima Christi sint Verbo vnita, verissima sunt verba Christi, quibus ait; *Verba, quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt;* quibus cum spiritalitate realitas ipsa corporalis præsentiæ suæ in Eucharistia firmissimè stabilitur.

Caro itaque vt carnem accipiebant carnales Capharnaitæ, caro, inquam, simpliciter humana, non vnita Verbo, nec sancti Spiritus charactere insignita, non prodest quidquam: Sola caro Verbi nobis profuit, & quantum profuerit ex his, quòd Christus ipse pro nobis in carne passus est, maximè declaratur. Omni ergò reuerentia, omni honore, omnique adorationis cultu, sacrum Christi corpus in Eucharistia fideles venerantur, & ad illius sumptionem, tanto auidiori fidei ardore, tantáque pietatis, ac deuotionis feruentiori auiditate accedunt: quantò illius præsentiam realem maiori odio hæretici persequuntur, & iustè, ac piè, nam omnia cum seipso, quando seipsum in Eucharistia sacra nobis dedit, Christus ipse donauit.

Corpus etenim, & sanguinem, animam, & diuinitatem, nobis tribuit, & cum corpore omnium corporalium bonorum nobis, hoc est, laborum, sudorum, ieiuniorum, peregrinationum, pœnarum, & amarissimę passionis tormentorum, communicationem tribuit. Cum sanguine verò, eius virtutis & meriti pondus, id est, remissionem peccatorum, (cùm ex Apostolo non sit peccatorum remissio absque sanguinis effusione) misericorditer nobis concessit. Vide Angelicus Doctor, de his, quæ per Eucharistiæ sumptionem remittuntur, doctissimè scripsit.

Cum anima denique, animæ eiusdem sanctitatis (hoc est) omnium virtutum, scilicet humilitatis, patientię, castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, clementiæ, charitatis, benignitatis, mansuetudinisque, & reliquarũ fidelibus cõsortia dedit.

Et tandem cum ipsa diuinitate sua, attributorum illius, omnipotentiæ videlicet, sapientię, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, &c. Ineffabili planè ac inaudita diuini eius amoris erga nos largitate, largiri dignatus est. Itaut omnia quæ

Digitized by Google

habuit, mira liberalitate cum seipso nobis donauit, quibus patet, quam aptissimè Cœnam Eucharistiam ipsam sacram appellauit, *Homo quidam*, ait, *fecit Cœnam magnam, &c.* Summo etenim mane ientaculum petitur, deinde prandium expectatur, postea collatio postulatur, postremò cœna ipsa præparatur, & cœna facta nihil aliud sumendum proponitur, sed ad lectulum pergitur, vt in ipso sua vnusquisque quiete potiatur.

Deus in creatione optimum homini ientaculum dedit, quãdo in escam omnia volatilia cœli, pisces maris, bestiasq; & fructus terræ illi præparauit. In Incarnatione autẽ splendidissimum eidem prandium præstitit, quandò eius naturam assumpsit, & diuinę consortem naturæ hominem ipsum effecit. In passione collationem denique præbuit, quando pro illo pati dignatus est, sed in Eucharistia sanè cœnam illi magnam fecit, in qua omnia quæ habuit distribuit, & nihil amplius dandum sibi reseruauit: In hac vita, tantumque superest beatitudinis æternæ æterna ipsa quies, æternæque quietis fruitio beata.

Meritò ergo cum summa reuerentia, honore ac deuotione ad Eucharistiæ sumptionem accedunt fideles, ex quo sciunt totum Christum Deum verũ & hominem in ea contineri, qui etiam Dominus Dominantium, & Rex Regum est delicatissimus, qui minimam, etiam venialis culpæ maculam voluntariè admissam abhorret, sicut quidam Reges, ob paruulam in iusculo Regio deprehensam Muscam, illud accipere renuunt; meritò, inquam, omni qua possunt deuotionis ardore, ac pietatis feruore accedunt; quia, ait ipse: *Vtinam calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo:* Ex quo denique, ex Scripturis. Didicerunt Virginem Deiparam quam gratiâ plenam Angelus salutauit, non sola gratia ad receptionem Christi in se corporaliter, sed speciali Spiritus sancti aduentu dignè præparatam à Spiritu ipso sancto extitisse, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.*

Nouerunt etiam, Apostolos non sola gratia, amicitia, instructione & benedictione Christi dispositos ad sacramen-

talem & quotidianam Eucharistiæ celebrationem, quibus dixerat: *Vos amici mei estis, &c. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, &c. Omnia quæ didici à Patre meo nota feci vobis, &c. Eleuatis manibus benedixit eis, &c.* Sed Spiritus sancti descensu qui etiam corporaliter in illis habitaret, in die sacra Pentecostes; Ita vt nullum legamus ante Pentecosten Apostolorum celebrasse, nullumque fidelium sacram Eucharistiam sumpsisse.

Immò Spiritus ipse sanctus, qui priuatè in Incarnatione in Virginem superuenerat, sicut solent quandóque Reges in priuata persona ad suos dilectos visitandos in domum illorum descendere, cum ipsis priuatè cœnare, &c. vt pleniùs digna fieret Virgo ipsa sacra, semper benedicta, semperque immaculata, Eucharistiæ quotidiana sumptione, in die ipso sacratissimo Pentecostes; cum omni Maiestatis diuinæ gloria regióque apparatu in eam descendit, & iterùm superuenit.

Fideles quoque ipsi in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, per Baptismi Sacramentum gratiam plenissimam recipiebant, sed insuper visibiliter super eos descendebat Spiritus sanctus, vt dignos illos efficeret quotidianę Eucharistię sumptione ad quam baptisati admittebantur, vt in Actis Apostolorum legitur.

Ergo, quasi gratia non sufficeret, sed Spiritus sancti pręsentia ad dignam tanti Sacramenti Sacramentalem communionem esset congruentissimè requisita, Spiritus sanctus in baptisatos quotidie communicaturos descendebat; non ergo mirum si tanta, tamque frequenti Sacramentali confessione purgari curant communicaturi fideles, ne in ipsis Christus inueniat, quod ipsius oculis displiceat.

Omnium credentium & quotidie communicantium fidelium erat tunc cor vnum & anima vna. *Erant enim perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis,* & orationibus quotidie, perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circà domos panem, sumebant cibū cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem populum; erantque illis

omnia communia, &c.

O stupendam Eucharistiæ diuinæ virtutem, ô aureum sæculum, ô certè fœlicem & beatam nascentis Ecclesiæ ætatem, & dignè communicantis Christiani populi sortem.

Tunc, vt etiam nunc sicut in æternitate essentia diuina sine vlla suipsius diuisione tribus diuinis personis communicatur; Ita in Eucharistia sancta, sacrum Christi corpus ab omnibus fidelibus integrum accipitur, cùm absque vlla sui diuisione scissura, aut fractione totum tribuitur, nulla namque rei fit scissura, signi tantum fit fractura, in partitione hostiæ, qua nec status, nec statura signati minuitur.

Et sicut Pater essentiam diuinam non partialiter, sed totam Filio totamque item Spiritui sancto, & sic totam ambobus quòd etiam vnicuique amborum totam communicat: Ita corpus Christi sic totum omnibus, quod totum singulis fidelibus in Eucharistia communicatur. Sicut insuper Pater cum Verbo Spiritum sanctum amorem producit: Ita Verbum cum humanitate in Eucharistia hoc Sacramentum amoris producit.

Et sicut, vt dictum est, productio in diuinis ita ad Spiritum Sanctum terminatur, vt vltra ad intra non progrediatur: Ita omnia sic in Eucharistia cum seipso nobis Christus dedit, vt nihil vltra dandum retinuerit, quę summam planè erga nos charitatem suam commendauit.

Sicut iterùm non solùm sine sui diuisione, sed etiam sine diminutione, se totam ita personis diuinis communicat essentia diuina, vt sibi ipsi tota maneat: Ita est de corpore Christi in Eucharistia; sumit enim vnus, sumunt mille, quantum isti tantum ille, nec sumptus consumitur.

Tandem sicut in æternitate ipsa Pater sibi per omnia æqualem Filium generat secundum diuinitatem: Ita Christus hoc Sacramentum instituit, vt secundum humanitatem filios sibi similes, hoc est, per imitationem suarum virtutum humilitatis videlicet, amoris, patientiæ, mansuetudinis, castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, &c. Quarum in nostra humanitate exemplum dedit nobis, generaret. Vnde ait;

Discite à me quia mitis sum & humilis corde, exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, &c.

Cùm autem ex Virgine sacra, hanc Christi carnem habeamus sacratissimam, cùm (inquam) nobiscum habitet Deus, propter nos homo factus, ex intacta & semper immaculata Virgine Maria, iuxta Prophetam, qui dixerat; *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus*: Iuxta quoque Ecclesiæ oraculum, quo dicitur, *nobis natus, nobis datus, ex intacta Virgine, &c.* aptissimè Sacramentariorum Hæreticæ prauitatis interemptricem illam appellamus. Fuit namq; sacratissima Virgo velut pera Pastoralis veri nostri Dauid, in qua simul & panis lapis asseruabantur; Dauid enim misit manum in peram pastoralem, & lapidem funda iecit, percussitque Goliath in fronte, *& Petra autem erat Christus*, ait Apostolus.

Denique subcinericius panis, de quo Iudicum capite septimo legitur, qui descendens in castra Madiam, tabernacula eorum subuertit, percussitque, ac terræ penitus coæquauit; Victoriam Ecclesiæ Catholicæ præsignabat, quam per sanctissimam Virginem, ab initio de Hæreticis gloriosissimè reportauerunt fideles.

Extensio & Continuatio Capitis eiusdem.

DEuicta itaque, euersa funditùs, dissolutáque, ac penitùs interempta sacramentariorum hęresi, pari triumpho, virtute consimili, & æquali gloria, illorũ quoque hæreses cõpressit sanctissima Virgo Deipara; qui sacras Christi Redemptoris, eiusdémque Virginis gloriosæ, ac Sanctorum Imagines confringebant, reliquias exurebant, locaq; diuino cultui sacrata, impia prophanatione omni honore spoliabant.

Reliquiam namque hanc diuinissimam, viuam, & integram (corpus Christi videlicet) quod in Eucharistia adoramus nobis dedit: eumque qui est Imago Dei viuentis, splendor paternæ gloriæ, figura substantiæ eius, & Imago bonitatis illius, Virgineo partu mundo edidit Iesum Salua-

torem, quem adorant cœlestis patriæ ciues; *in quem desiderant Angeli prospicere*, quemque & nos ipsi summis votis, summoque honore, ac summa latria in Eucharistia adoramus.

Hæc est autem non solùm pietas, sed & fides Catholica; vt sacras Dei Virginisque Deiparæ, & sanctorum Imagines, ac Reliquias veneremur, locáque sacra, omni honore, & reuerentia obseruemus; *Quam nisi quisque fideliter seruauerit, saluus esse non poterit, & absque dubio, in æternum peribit.*

Sed in Exodo legitur, inquiunt Hæretici, *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem eorum, quæ in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sub terra sunt, & in aquis, &c.*

Sed in Exodo habetur, respondent Catholici, *Arcam de lignis setim compingite, & deaurabis eam auro mundißimo intus & foris, &c. Duos quoque Cherubin aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi, Cherubin vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo, versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi, indè præcipiam, & loquar ad te; supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim qui erunt super arcam testimonij.*

In Libro Numerorum ita quoque habetur, *Ac Serpentem æneum, & pone eum pro signo, &c.* Fecit autem Moyses omnia quæ præcepit ei Deus, &c. At, Cherubin illi duo, eorum quæ in Cœlo habitant sunt Imagines, arca vero, eorum quæ in terra, serpens tandem, sub terra habitat & viuit, quandoque etiam in aquis.

Numquid ergo Moyses Idololatra extitit, quoties flexis genibus ante Arcam à Deo, sibi de medio duorum Cherubinorum respondente orans oraculum quæsiuit?

Numquid Deus memoria falli potuit, vt citò obliuioni dederit, quod tanto, tamque celebri statuto prohibuerat? poterat Moyses Deo sibi vt Arcam, Cherubinos, & Serpentem æneum faceret præcipienti respondere, non faciam, hoc enim à temetipso mihi iam prohibitum est. Absit hoc à nobis, vt Deum sibi ipsi in præceptis contrarium credamus.

Sensus

Digitized by Google

Sensus ergo primi textus est, vt pro Deo non habeantur, & latria, qua solus Deus colitur, non adorentúrque supra allata sunt.

Reuera, si hæreticus Moysen genuflexo ante arcam & Cherubinos orantem vidisset, Prophetam, vt idololatram condemnasset, arcam fregisset, & euertisset, Cherubinos confregisset, propitiatoriúmque penitùs comminuisset.

Apostolus autem ait, *omnia in figuris contigisse*, ergo arca figura erat & imago humanitatis Christi, vel Virginis Deiparæ, sicut & serpens erat imago & figura passionis Christi, & exaltationis eiusdem in Cruce, iuxta illud, *Sicut exaltauit Moïses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis;* Imagines verò illæ miraculis, portentis, ac prodigiis, & signis claruere, vt ex his quæ per arcam & serpentem patrauit Deus, patet in Scripturis.

Miraculis item innumeris enituit naturalissima illa corporis Petri Imago, vmbra scilicet eiusdem; nam vt in Actibus Apostolorum legitur, fideles, *In plateis ponebant infirmos, vt saltem transeunte Petro vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanabantur ab infirmitatibus suis, &c.*

Etiam infideles ipsi magno honore arcam affecêre, vt in libris Regum legitur, serpentémque æneum tantis miraculis famosum Iudæi ipsi ita votis extulere, vt adorarent illum, vnde & Ezechias tandem confregit eum.

Nos autem Catholica religione, imagines veneramur Sanctorum, Reliquiasque sacras, & ossa illorum preciosa reueremur, quia ab initio ita Deus fieri voluit, & per illa miracula operari innumera dignatus est, &c.

Cùm ergò mulier sit imago viri, & os ex ossibus eius iuxta illud, *Faciamus ei adiutorium simile sibi, &c. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, sit a Deo serpenti, *inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. Ipsa conteret caput tuum;* non mirum si tanto odio ossa Sanctorum prosequatur diabolus, & si per membra sua (per Hæreticos) scilicet, illorum Reliquias & Imagines maximè mulieris illius eius capitis interemptricis armis confringendas & pedibus equorum conculcandas, vt in bellis nouissimè atque combu-

carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam, &c.

Mulier ergo prima per esum fidem perdidit, dùm verbis Diaboli credidit; Mulier secunda verbis Angeli fidem dedit, & fructum vitæ accepit, concepitque de quo dicitur, *Benedictus fructus ventris tui*; cuius Sacramentalem corporis Communionem,post missionem Spiritus sancti in dies dignissimè sumpsit, & cuius tanti, tamque salutiferi Sacramenti fidem, in cordibus fidelium firmissimè ac sanctissimè suæ virtutis, pietatisque, deuotionis,& sanctitatis exemplo conseruauit.

Itaque ex quo, ait Apostolus, *beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, ad imitationem Virginis gloriosæ,fideles impolluto ore,immaculata anima, incontaminata fide, ac deuotione integra, ad tanti Sacramenti sumptionem accedunt.

Hæretici verò infidelitatis & hæreticæ prauitatis tenebris obuoluti, se spiritaliter tantum memoriam & commemorationem celebrare, sine vlla realitatis veritate; sine, inquam, vlla veritatis realitate verborum Christi, Catholico, ac verissimo sensu abutentes se spiritalem huius Sacramenti recordationē colere gloriantur, contra quos, ait ipse Christus; *Caro mea verè est cibus,& sanguis meus verè est potus; qui manducat & carnem meam bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Sensus namque verus & Catholicus verborum Christi, (*hoc facite in meam commemorationem*) non realitatis veritatem excludit, immò ipsiusmet veritatis realitatem constituit. Sicut enim manna, quod erat in arca, & arca ipsa, & virga Aaron, & tabulæ legis, erant sui ipsius viua ac vera memoria, cùm populus per illa ad memoriam reuocabat beneficia sibi à Deo per arcam ipsam legémque & virgam collata: sic in Eucharistia, corpus Christi est sui ipsius memoria, & recordatio. Sicut Petri per eius præsentiam hodiernam quem olim vidi, agnoui, & dilexi, recordor. Sic solent homines per eundem solem hodiernum, cuius luminis & caloris beneficio fruuntur, eiusdem cuius item lumine & calore

calore diebus præteritis potiebantur recordari: quibus patet quomodo corpus Christi sui ipsius sit memoria, &c.

Cùm autem in cœna hæreticorum nulla veritas sit realitatis, nullaque realitas veritatis præsentiæ corporalis Christi; benè assimilantur ei, qui in lecto suo media nocte vndique tenebris densissimis obuolutus, diei præteritæ, solisque recordatur: hæc est, & talis celebratur in cœna hæreticorum commemoratio corporis Christi alienati à veritate Dei, sicut alienus est à Sole qui eius media nocte recordatur.

Assimilantur item rebellibus his, qui Regem suum ad se venturum sentientes, & litteris seruitutis iura offerentes, maiestatis autem præsentiam abhorrentes, per nuntios sic loquuntur: *O Rex Serenissime! Dominum nostrum te ac Regem esse scimus, tibi libenter seruitutis nostræ iura offerimus, sed tuam corporalem præsentiam apud nos nolumus; Maneas ergo in Palatio tuo Regio, in Regia ipsa ciuitate tuâ, tantum mente, & spiritu ad nos venias, & non corporaliter; si enim veneris omni te probro, despectu, & ignominia afficiemus.* Ita hæretici de Christo sentiunt, dùm illum sic ad dexteram Patris ascendisse dicunt, & sic ibi manere asserunt, vt nullomodo hîc etiã apud nos corporaliter esse possit; & licet se Christianos, Christique speciales seruos nouæ reformationis secta profiteantur: Ita tamen horrendo in Eucharistiam odio, corporalem eiusdem Christi præsentiam prosequuntur, vt illam omni irreuerentia vsque in præsentem diem affecerint: canibus namque Sacramenta corporis Christi proiecerunt cum Donatistis, Ecclesias ad vastitatem reduxerunt, altaria destruxerunt, vasaque sacra horribiliter prophanauerunt, nostra enim tempestate talia horribilia vidimus.

Nos autem Catholici carnem ex Virgine semper immaculata à Verbo assumptam in Eucharistia adoramus & cum Christo ipso dicimus; *Et ecce plusquam Salomon hic*: Salomon enim omni sua sapientia, ac potestate Regia, non potuit duabus matribus pro vnico filio coram se contendentibus, vnicum filium ipsum sine diuisione tribuere, *Afferte*, inquit, *mihi gladium, diuidite infantem*, *&c.* Christus enim

Digitized by Google

carnem Filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam, &c.

Mulier ergo prima per esum fidem perdidit, dùm verbis Diaboli credidit; Mulier secunda verbis Angeli fidem dedit, & fructum vitæ accepit, concepitque de quo dicitur, *Benedictus fructus ventris tui*; cuius Sacramentalem corporis Communionem, post missionem Spiritus sancti in dies dignissimè sumpsit, & cuius tanti, tamque salutiferi Sacramenti fidem, in cordibus fidelium firmissimè ac sanctissimè suæ virtutis, pietatisque, deuotionis, & sanctitatis exemplo conseruauit.

Itaque ex quo, ait Apostolus, *beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, ad imitationem Virginis gloriosæ, fideles impolluto ore, immaculata anima, incontaminata fide, ac deuotione integra, ad tanti Sacramenti sumptionem accedunt.

Hæretici verò infidelitatis & hæreticæ prauitatis tenebris obuoluti, se spiritaliter tantum memoriam & commemorationem celebrare, sine vlla realitatis veritate; sine, inquam, vlla veritatis realitate verborum Christi, Catholico, ac verissimo sensu abutentes se spiritalem huius Sacramenti recordationē colere gloriantur, contra quos, ait ipse Christus; *Caro mea verè est cibus,& sanguis meus verè est potus; qui manducat & carnem meam bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Sensus namque verus & Catholicus verborum Christi, (*hoc facite in meam commemorationem*) non realitatis veritatem excludit, immò ipsiusmet veritatis realitatem constituit. Sicut enim manna, quod erat in arca, & arca ipsa, & virga Aaron, & tabulæ legis, erant sui ipsius viua ac vera memoria, cùm populus per illa ad memoriam reuocabat beneficia sibi à Deo per arcam ipsam legémque & virgam collata: sic in Eucharistia, corpus Christi est sui ipsius memoria, & recordatio. Sicut Petri per eius præsentiam hodiernam quem olim vidi, agnoui, & dilexi, recordor. Sic solent homines per eundem solem hodiernum, cuius luminis & caloris beneficio fruuntur, eiusdem cuius item lumine & calore

calore diebus præteritis potiebantur recordari: quibus patet quomodo corpus Christi sui ipsius sit memoria, &c.

Cùm autem in cœna hæreticorum nulla veritas sit realitatis, nullaque realitas veritatis præsentiæ corporalis Christi; benè assimilantur ei, qui in lecto suo media nocte vndique tenebris densissimis obuolutus, diei præteritæ, solisque recordatur: hæc est, & talis celebratur in cœna hæreticorum commemoratio corporis Christi alienati à veritate Dei, sicut alienus est à Sole qui eius media nocte recordatur.

Assimilantur item rebellibus his, qui Regem suum ad se venturum sentientes, & litteris seruitutis iura offerentes, maiestatis autem præsentiam abhorrentes, per nuntios sic loquuntur: *O Rex Serenissime! Dominum nostrum te ac Regem esse scimus, tibi libenter seruitutis nostra iura offerimus, sed tuam corporalem præsentiam apud nos nolumus; Maneas ergo in Palatio tuo Regio, in Regia ipsa ciuitate tuâ, tantum mente, & spiritu ad nos venias, & non corporaliter: si enim veneris omni te probro, despectu, & ignominia afficiemus.* Ita hæretici de Christo sentiunt, dùm illum sic ad dexteram Patris ascendisse dicunt, & sic ibi manere asserunt, vt nullomodo hic etiā apud nos corporaliter esse possit; & licet se Christianos, Christique speciales seruos nouæ reformationis secta profiteantur: Ita tamen horrendo in Eucharistiam odio, corporalem eiusdem Christi præsentiam prosequuntur, vt illam omni irreuerentia vsque in præsentem diem affecerint: canibus namque Sacramenta corporis Christi proiecerunt cum Donatistis, Ecclesias ad vastitatem reduxerunt, altaria destruxerunt, vasaque sacra horribiliter prophanauerunt, nostra enim tempestate talia horribilia vidimus.

Nos autem Catholici carnem ex Virgine semper immaculata à Verbo assumptam in Eucharistia adoramus & cum Christo ipso dicimus, *Et ecce plusquam Salomon hic*: Salomon enim omni sua sapientia, ac potestate Regia, non potuit duabus matribus pro vnico filio coram se contendentibus, vnicum filium ipsum sine diuisione tribuere, *Afferte*, inquit, *mihi gladium, diuidite infantem*, &c. Christus enim

Digitized by Google

& ſeipſum viuum Eccleſiæ triumphanti, in qua ſedet ad dexteram Dei Patris, & Eccleſiæ pariter militanti, in qua à fidelibus plena ac viua fide in Euchariſtia adoratur, mirabiliter dedit, quando dixit; *Aſcendo ad Patrem meum, &c. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Vnde ſanctus Pater Auguſtinus ſuper illud quod ait Saluator. *Videbitis cælum apertum, & angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.* Si ad eum (ait) aſcendunt & ad illum deſcendunt, profectò & ſurſum eſt, & hic eſt, nullo enim pacto fieri poteſt, vt ad illum aſcendant, & ad eum deſcendant, niſi & ibi ſit, quo aſcendunt, & hic pariter ſit, quo deſcendunt, &c.

Abſit ergò quòd in ipſa ſua nequitia temerè & impudenter verborum Chriſti ſenſum verum peruertentes, audent affirmare hæretici, videlicet ſpiritualiter tantum, hoc eſt, mente, non verò corporaliter Chriſtum in Euchariſtia contineri iuxta illud. *Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt: caro non prodeſt quidquam, &c.* Spiritalitas namque realitatem non excludit; Immò ipſiuſmet realitatis veritatem verba Chriſti ſtabilire & confirmare cognouimus.

Sicut enim anima mea, quæ ſpiritus eſt, in corpore meo ſpiritualiter eſt, ſpiritualiter (inquam) ſimul & realiter, cuius quidem reali præſentia & motum & ſenſum operationémque mouendo, ſentiendo, & operando, me habere oſtendo. Ita eſt de Chriſti reali præſentia in Euchariſtia; Diuinitas namque ſpiritus eſt, anima, ſpiritus eſt, corpus ſpiritale eſt. *Eſt enim*, ait Apoſtolus, *corpus animale, & eſt corpus ſpiritale: ſeminatur corpus beatorum animale, ſurget corpus ſpiritale, &c.* Corpus autem Chriſti reſurrexit, ergò corpus ſpiritale eſt.

Deindè quatuor ſpirituum beatorum dotibus ab ipſo primò Incarnationis Dominicæ inſtanti, dotatũ, & ditatum extitit, erat enim vnitum animę Chriſti beatę, vnde & claritatis in Thabor, & ſubtilitatis in Natiuitate, & in Reſurrectione, & agilitatis, quando ambulauit ſuper aquas, & impaſſibilitatis, quando per medium illorum, qui illum volebant lapidare, tranſiens illæſus ibat, dotibus Chriſtus vſus eſt.

Digitized by Google

Cùm ergo in Christo omnia sint spiritalia, verbum verò veritas sit & vita; Caro autem & anima Christi sint Verbo vnita, verissima sunt verba Christi, quibus ait; *Verba, quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt*; quibus cum spiritalitate realitas ipsa corporalis præsentiæ suæ in Eucharistia firmissimè stabilitur.

Caro itaque vt carnem accipiebant carnales Capharnaïtæ, caro, inquam, simpliciter humana, non vnita Verbo, nec sancti Spiritus charactere insignita, non prodest quidquam: Sola caro Verbi nobis profuit, & quantum profuerit ex his, quòd Christus ipse pro nobis in carne passus est, maximè declaratur. Omni ergò reuerentia, omni honore, omnique adorationis cultu, sacrum Christi corpus in Eucharistia fideles venerantur, & ad illius sumptionem, tanto auidiori fidei ardore, tantáque pietatis, ac deuotionis feruentiori auiditate accedunt: quantò illius præsentiam realem maiori odio hæretici persequuntur, & iustè, ac piè, nam omnia cum seipso, quando seipsum in Eucharistia sacra nobis dedit, Christus ipse donauit.

Corpus etenim, & sanguinem, animam, & diuinitatem, nobis tribuit, & cum corpore omnium corporalium bonorum nobis, hoc est, laborum, sudorum, ieiuniorum, peregrinationum, pœnarum, & amarissimę passionis tormentorum, communicationem tribuit. Cum sanguine verò, eius virtutis & meriti pondus, id est, remissionem peccatorum, (cùm ex Apostolo non sit peccatorum remissio absque sanguinis effusione) misericorditer nobis concessit. Vide Angelicus Doctor, de his, quæ per Eucharistiæ sumptionem remittuntur, doctissimè scripsit.

Cum anima denique, animæ eiusdem sanctitatis (hoc est) omnium virtutum, scilicet humilitatis, patientię, castitatis, abstinentiæ, liberalitatis, clementiæ, charitatis, benignitatis, mansuetudinisque, & reliquarũ fidelibus cōsortia dedit.

Et tandem cum ipsa diuinitate sua, attributorum illius, omnipotentiæ videlicet, sapientię, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, &c. Ineffabili planè ac inaudita diuini eius amoris ergà nos largitate, largiri dignatus est. Itaut omnia quæ

Digitized by Google

habuit, mira liberalitate cum seipso nobis donauit, quibus patet, quam aptissimè Cœnam Eucharistiam ipsam sacram appellauit, *Homo quidam*, ait, *fecit Cœnam magnam, &c.* Summo etenim mane ientaculum petitur, deinde prandium expectatur, postea collatio postulatur, postremò cœna ipsa præparatur, & cœna facta nihil aliud sumendum proponitur, sed ad lectulum pergitur, vt in ipso sua vnusquisque quiete potiatur.

Deus in creatione optimum homini ientaculum dedit, quãdo in escam omnia volatilia cœli, pisces maris, bestiasq; & fructus terræ illi; præparauit. In Incarnatione autẽ splendidissimum eidem prandium præstitit, quandò eius naturam assumpsit, & diuinę consortem naturæ hominem ipsum effecit. In passione collationem denique præbuit, quando pro illo pati dignatus est, sed in Eucharistia sanè cœnam illi magnam fecit, in qua omnia quæ habuit distribuit, & nihil amplius dandum sibi reseruauit: In hac vita, tantùmque superest beatitudinis æternæ æterna ipsa quies, æternæque quietis fruitio beata.

Meritò ergo cum summa reuerentia, honore ac deuotione ad Eucharistiæ sumptionem accedunt fideles, ex quo sciunt totum Christum Deum verũ & hominem in ea contineri, qui etiam Dominus Dominantium, & Rex Regum est delicatissimus, qui minimam, etiam venialis culpæ maculam voluntariè admissam abhorret, sicut quidam Reges, ob paruulam in iusculo Regio deprehensam Muscam, illud accipere renuunt; meritò, inquam, omni qua possunt deuotionis ardore, ac pietatis feruore accedunt; quia, ait ipse: *Vtinam calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo:* Ex quo denique, ex Scripturis. Didicerunt Virginem Deiparam quam gratiâ plenam Angelus salutauit, non sola gratia ad receptionem Christi in se corporaliter, sed speciali Spiritus sancti aduentu dignè præparatam à Spiritu ipso sancto extitisse, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.*

Nouerunt etiam, Apostolos non sola gratia, amicitia, instructione & benedictione Christi dispositos ad sacramen-

talem & quotidianam Eucharistiæ celebrationem, quibus dixerat: *Vos amici mei estis, &c. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, &c. Omnia quæ didici à Patre meo nota feci vobis, &c. Eleuatis manibus benedixit eis, &c.* Sed Spiritus sancti descensu qui etiam corporaliter in illis habitaret, in die sacra Pentecostes; Ita vt nullum legamus ante Pentecosten Apostolorum celebrasse, nullumque fidelium sacram Eucharistiam sumpsisse.

Immò Spiritus ipse sanctus, qui priuatè in Incarnatione in Virginem superuenerat, sicut solent quandoque Reges in priuata persona ad suos dilectos visitandos in domum illorum descendere, cum ipsis priuatè cœnare, &c. vt pleniùs digna fieret Virgo ipsa sacra, semper benedicta, semperque immaculata, Eucharistiæ quotidiana sumptione, in die ipso sacratissimo Pentecostes; cum omni Maiestatis diuinæ gloria regióque apparatu in eam descendit, & iterùm superuenit.

Fideles quoque ipsi in ipso nascentis Ecclesiæ exordio, per Baptismi Sacramentum gratiam plenissimam recipiebant, sed insuper visibiliter super eos descendebat Spiritus sanctus, vt dignos illos efficeret quotidianę Eucharistię sumptione ad quam baptisati admittebantur, vt in Actis Apostolorum legitur.

Ergo, quasi gratia non sufficeret, sed Spiritus sancti pręsentia ad dignam tanti Sacramenti Sacramentalem communionem esset congruentissimè requisita, Spiritus sanctus in baptisatos quotidie communicaturos descendebat; non ergo mirum si tanta, tamque frequenti Sacramentali confessione purgari curant communicaturi fideles, ne in ipsis Christus inueniat, quod ipsius oculis displiceat.

Omnium credentium & quotidie communicantium fidelium erat tunc cor vnum & anima vna. *Erant enim perseuerantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis;* & orationibus quotidie, perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibũ cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem populum; erantque illis

Digitized by Google

omnia communia, &c.

O ſtupendam Euchariſtiæ diuinæ virtutem, ô aureum ſæculum, ô certè fœlicem & beatam naſcentis Eccleſiæ ætatem, & dignè communicantis Chriſtiani populi ſortem.

Tunc, vt etiam nunc ſicut in æternitate eſſentia diuina ſine vlla ſuipſius diuiſione tribus diuinis perſonis communicatur; Ita in Euchariſtia ſancta, ſacrum Chriſti corpus ab omnibus fidelibus integrum accipitur, cùm abſque vlla ſui diuiſione ſciſſura, aut fractione totum tribuitur, nulla namque rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, in partitione hoſtiæ, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.

Et ſicut Pater eſſentiam diuinam non partialiter, ſed totam Filio totamque item Spiritui ſancto, & ſic totam ambobus quòd etiam vnicuique amborum totam communicat: Ita corpus Chriſti ſic totum omnibus, quod totum ſingulis fidelibus in Euchariſtia communicatur. Sicut inſuper Pater cum Verbo Spiritum ſanctum amorem producit: Ita Verbum cum humanitate in Euchariſtia hoc Sacramentum amoris producit.

Et ſicut, vt dictum eſt, productio in diuinis ita ad Spiritum Sanctum terminatur, vt vltra ad intra non progrediatur: Ita omnia ſic in Euchariſtia cum ſeipſo nobis Chriſtus dedit, vt nihil vltra dandum retinuerit, quę ſummam planè erga nos charitatem ſuam commendauit.

Sicut iterùm non ſolùm ſine ſui diuiſione, ſed etiam ſine diminutione, ſe totam ita perſonis diuinis communicat eſſentia diuina, vt ſibi ipſi tota maneat: Ita eſt de corpore Chriſti in Euchariſtia; ſumit enim vnus, ſumunt mille, quantum iſti tantum ille, nec ſumptus conſumitur.

Tandem ſicut in æternitate ipſa Pater ſibi per omnia æqualem Filium generat ſecundum diuinitatem: Ita Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, vt ſecundum humanitatem filios ſibi ſimiles, hoc eſt, per imitationem ſuarum virtutum humilitatis videlicet, amoris, patientiæ, manſuetudinis, caſtitatis, abſtinentiæ, liberalitatis, &c. Quarum in noſtra humanitate exemplum dedit nobis, generaret. Vnde ait;

Digitized by Google

Discite à me quia mitis sum & humilis corde, exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, &c.

Cùm autem ex Virgine sacra, hanc Christi carnem habeamus sacratissimam, cùm (inquam) nobiscum habitet Deus, propter nos homo factus, ex intacta & semper immaculata Virgine Maria, iuxta Prophetam, qui dixerat; *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* id est, *nobiscum Deus*: Iuxta quoque Ecclesiæ oraculum, quo dicitur, *nobis natus, nobis datus, ex intacta Virgine, &c.* aptissimè Sacramentariorum Hæreticæ prauitatis interemptricem illam appellamus. Fuit namq; sacratissima Virgo velut pera Pastoralis veri nostri Dauid, in qua simul & panis lapis asseruabantur; Dauid enim misit manum in peram pastoralem, & lapidem funda iecit, percussitque Goliath in fronte, *& Petra autem erat Christus*, ait Apostolus.

Denique subcinericius panis, de quo Iudicum capite septimo legitur, qui descendens in castra Madiam, tabernacula eorum subuertit, percussitque, ac terræ penitus coæquauit; Victoriam Ecclesiæ Catholicæ præsignabat, quam per sanctissimam Virginem, ab initio de Hæreticis gloriosissimè reportauerunt fideles.

Extensio & Continuatio Capitis eiusdem.

DEuicta itaque, euersa funditùs, dissolutáque, ac penitùs interempta sacramentariorum hæresi, pari triumpho, virtute consimili, & æquali gloria, illorũ quoque hæreses cõpressit sanctissima Virgo Deipara; qui sacras Christi Redemptoris, eiusdémque Virginis gloriosæ, ac Sanctorum Imagines confringebant, reliquias exurebant, locaq; diuino cultui sacrata, impia prophanatione omni honore spoliabant.

Reliquiam namque hanc diuinissimam, viuam, & integram (corpus Christi videlicet) quod in Eucharistia adoramus nobis dedit: cumque qui est Imago Dei viuentis, splendor paternæ gloriæ, figura substantiæ eius, & Imago bonitatis illius, Virgineo partu mundo edidit Iesum Salua-

Digitized by Google

torem, quem adorant cœlestis patriæ ciues; *in quem desiderant Angeli prospicere*, quemque & nos ipsi summis votis, summoque honore, ac summa latria in Eucharistia adoramus.

Hæc est autem non solùm pietas, sed & fides Catholica; vt sacras Dei Virginisque Deiparæ, & sanctorum Imagines, ac Reliquias veneremur, locáque sacra, omni honore, & reuerentia obseruemus; *Quam nisi quisque fideliter seruauerit, saluus esse non poterit, & absque dubio, in æternum peribit.*

Sed in Exodo legitur, inquiunt Hæretici, *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem eorum, quæ in Cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sub terra sunt, & in aquis, &c.*

Sed in Exodo habetur, respondent Catholici, *Arcam de lignis setim compingite, & deaurabis eam auro mundissimo intus & foris, &c. Duos quoque Cherubin aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi, Cherubin vnus sit in latere vno, & alter in altero. Vtrumque latus propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo, versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca, in qua pones testimonium quod dabo tibi, inde præcipiam, & loquar ad te; supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim qui erunt super arcam testimonij.*

In Libro Numerorum ita quoque habetur, *Ac Serpentem æneum, & pone eum pro signo, &c.* Fecit autem Moyses omnia quæ præcepit ei Deus, &c. At, Cherubin illi duo, eorum quæ in Cœlo habitant sunt Imagines, arca vero, eorum quæ in terra, serpens tandem, sub terra habitat & viuit, quandoque etiam in aquis.

Numquid ergo Moyses Idololatra extitit, quoties flexis genibus ante Arcam à Deo, sibi de medio duorum Cherubinorum respondente orans oraculum quæsiuit?

Numquid Deus memoria falli potuit, vt citò obliuioni dederit, quod tanto, tamque celebri statuto prohibuerat? poterat Moyses Deo sibi vt Arcam, Cherubinos, & Serpentem æneum faceret præcipienti respondere; non faciam, hoc enim à temetipso mihi iam prohibitum est. Absit hoc à nobis, vt Deum sibi ipsi in præceptis contrarium credamus.

Sensus ergo primi textus est, vt pro Deo non habeantur, & latria, qua solus Deus colitur, non adorentúrque supra allata sunt.

Reuera, si hæreticus Moysen genuflexo ante arcam & Cherubinos orantem vidisset, Prophetam, vt idololatram condemnasset, arcam fregisset, & euertisset, Cherubinos confregisset, propitiatoriúmque penitùs comminuisset.

Apostolus autem ait, *omnia in figuris contigisse*, ergo arca figura erat & imago humanitatis Christi, vel Virginis Deiparæ, sicut & serpens erat imago & figura passionis Christi, & exaltationis eiusdem in Cruce, iuxta illud, *Sicut exaltauit Moïses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis;* Imagines verò illæ miraculis, portentis, ac prodigiis, & signis claruere, vt ex his quæ per arcam & serpentem patrauit Deus, patet in Scripturis.

Miraculis item innumeris enituit naturalissima illa corporis Petri Imago, vmbra scilicet eiusdem; nam vt in Actibus Apostolorum legitur, fideles, *In plateis ponebant infirmos, vt saltem transeunte Petro vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanabantur ab infirmitatibus suis, &c.*

Etiam infideles ipsi magno honore arcam affecêre, vt in libris Regum legitur, serpentémque æneum tantis miraculis famosum Iudæi ipsi ita votis extulere, vt adorarent illum, vnde & Ezechias tandem confregit eum.

Nos autem Catholica religione, imagines veneramur Sanctorum, Reliquiasque sacras, & ossa illorum preciosa reueremur, quia ab initio ita Deus fieri voluit, & per illa miracula operari innumera dignatus est, &c.

Cùm ergò mulier sit imago viri, & os ex ossibus eius iuxta illud, *Faciamus ei adiutorium simile sibi, &c. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, sit a Deo serpenti, *inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. Ipsa conteret caput tuum;* non mirum si tanto odio ossa Sanctorum prosequatur diabolus, & si per membra sua (per Hæreticos) scilicet, illorum Reliquias & Imagines maximè mulieris illius eius capitis interemptricis armis confringendas & pedibus equorum conculcandas, vt in bellis nouissimè atque combu-

Sensus ergo primi textus est, vt pro Deo non habeantur, & latria, qua solus Deus colitur, non adorentúrque supra allata sunt.

Reuera, si hæreticus Moysen genuflexo ante arcam & Cherubinos orantem vidisset, Prophetam, vt idololatram condemnasset, arcam fregisset, & euertisset, Cherubinos confregisset, propitiatoriúmque penitùs comminuisset.

Apostolus autem ait, *omnia in figuris contigisse*, ergo arca figura erat & imago humanitatis Christi, vel Virginis Deiparæ, sicut & serpens erat imago & figura passionis Christi, & exaltationis eiusdem in Cruce, iuxta illud, *Sicut exaltauit Moïses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis;* Imagines verò illæ miraculis, portentis, ac prodigiis, & signis claruere, vt ex his quæ per arcam & serpentem patrauit Deus, patet in Scripturis.

Miraculis item innumeris enituit naturalissima illa corporis Petri Imago, vmbra scilicet eiusdem; nam vt in Actibus Apostolorum legitur, fideles, *In plateis ponebant infirmos, vt saltem transeunte Petro vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanabantur ab infirmitatibus suis, &c.*

Etiam infideles ipsi magno honore arcam affecêre, vt in libris Regum legitur, serpentémque æneum tantis miraculis famosum Iudæi ipsi ita votis extulere, vt adorarent illum, vnde & Ezechias tandem confregit eum.

Nos autem Catholica religione, imagines veneramur Sanctorum, Reliquiasque sacras, & ossa illorum preciosa reueremur, quia ab initio ita Deus fieri voluit, & per illa miracula operari innumera dignatus est, &c.

Cùm ergò mulier sit imago viri, & os ex ossibus eius iuxta illud, *Faciamus ei adiutorium simile sibi, &c. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, sit a Deo serpenti, *inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. Ipsa conteret caput tuum;* non mirum si tanto odio ossa Sanctorum prosequatur diabolus, & si per membra sua (per Hæreticos) scilicet, illorum Reliquias & Imagines maximè mulieris illius eius capitis interemptricis armis confringendas & pedibus equorum conculcandas, vt in bellis nouissimè atque combu-

Digitized by Google

rendus, cernimus factum totis conatibus, tota rabie, totoque suo infernali flatu, procuret.

Indè meritò sacratissimæ Virginis Deiparæ membra Deus ipse diu in sepulchro iacere non est passus, ne Draconis spurcissimo halitu illa impiissimè prophanaret hæretica prauitas; sed assumpta est in Cœlum Virgo beata, & exaltata est super Choros Angelorum, &c.

De ea dictum est serpenti, *Ipsa conteret caput tuum: & tu insidiaberis calcaneo eius.* Exindè calcaneo inuidet, & insidiatur Diabolus, osque calcanei odit, etiam & calceum quo calceatur abhorret, de quibus Spiritus sanctus, *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.*

Sanctissimus virorum ex muliere natorum Ioannes ita calceamenta, & calceamentorum Christi corrigias venerabatur, vt diceret; *Non sum dignus corrigiam calceamentorum eius soluere,* qui tanta obseruantia calceamenta venerabatur, quali quantoque honore ossa corporis fuisset veneratus, ex dictis eius facilè coniicitur.

Quid plura? Deus ipse curam sollicitam de capillis Sanctorum suorum gerere cernitur: *Capilli,* inquit, *capitis vestri omnes numerati sunt; & capillus de capite vestro non peribit, &c.* quantò magis de ossibus? Si enim superflua corporis sunt illi, ita chara, & minutissimæ capillorũ reliquiæ ita ipsi pretiosæ extant; quantò magis anima ipsa & corpus, corporisque ossa?

Nolite, inquit, *portare aurum in Zonis vestris, &c.* quasi dicat; *Vestimenta vestra sunt sacra, & Zona ipsa, quibus vestes colliguntur, & corpus cingitur pretiosissima, aurum vero de mundo est prophanum, nolite ergo sacris prophana iungere.*

Exindè legimus in Actibus Apostol. quòd Zona Pauli, sudaria & semicinctoria eius à fidelibus super infirmos ponebantur, qui curabantur omnes. Denique:

Dùm Israëlitæ ipsi, in exitu Israël de Ægypto omnes ad vasa aurea & argentea, ad inaures, & annulos, ac diuitias Ægyptiorum currerent, iuxta præceptum quod dederat illis Moyses, dicens: *Petat vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, omnia vasa aurea, &c.* Moyses ipse non ad ea, sed ad

Digitized by Google

sacra ossa Ioseph cucurrit, & ea secum in terram promissionis asportauit, vt tanti sanctissimique Patriarchæ reliquiarũ virtute populus in tali peregrinationis labore consolaretur, & tandem non in Ægypti prophanationis terrâ, sed in terra illa sancta promissionis religiosissimè collocarentur.

Ossa Elisei Prophetæ tantæ virtutis extitere, vt & mortuum à mortuis excitarint.

Et de Sepulchro Domini, sic prædixerat Propheta, *& erit sepulchrum eius gloriosum*: Miracula quippe innumerabilia ad sepulchrum Redemptoris patrata sunt.

Quæ omnia cùm per Christum Virginis Filium, Virginalis vteri fructum, & vberum Virginalium Mariæ alumnum, sint operata, & à Virgine ipsa sacra nobis tanta virtutum signa & gratiarum beneficia habuerimus, cùm ab ipsa Christum accepimus: per eam meritò sanctæ Ecclesiæ fides exaltatur, & omnis hæretica prauitas contrita, dissoluta, interempta, ac penitùs conscissa, & comminuta asseritur. Indè per totum orbem terrarum, sancta cantat Ecclesia; *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo, &c.*

Tandem exindè loca sacra, in quibus & sancta Eucharistia adoratur, & sacræ Reliquiæ Sanctorum religiosissimè asseruantur, eorumdémque sanctissimæ Imagines omni deuotione venerantur, tum ab ipsa pietate Catholica, tùm ex sacræ Scripturæ testimoniis, norunt singulari cultus diuini honore honorare fideles.

Licet enim Ieremias in lacu cœni, Daniel in lacu Leonũ, tres pueri in camino ignis, latro in Cruce, Iob in sterquilinio, Susanna in horto, & balneo, ad Deũ orauerint, Deumque vbique orationibus flectere sit optimum, iuxta Prophetam dicentem; *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino, &c.*

Veruntamen, Petrus & Ioannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam, ter item in anno omnis masculus in eodem Templo, in quo erant Arca, Virga Aaron, Tabulæque Legis, preciosissimæ Veteris Testamẽti Reliquiæ, apparere tenebatur, & de eo dicitur Deuteronomii 16. *Non*

Digitized by Google

poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi, &c.

Si ergò figuræ tantus honor exhibetur, quantò magis veritati? Locus ergo in quo non solùm nomen Dei inuocatur, sed Filius Dei verus colitur, corpus Christi adoratur, Matris Dei, & sanctorum auxilia implorantur, ac eorum Imagines, reliquiæque deuotè venerantur? de quo habetur Genes. 28. *Quàm terribilis est locus iste! verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, &c.* honore honorandus est.

In sola Piscina Ierosolymitana cœci, claudi, & aridi, sanabantur, dùm descenderet Angelus, & aqua moueretur, &c.

Non in fluuiis Damasci Abana & Pharphar, sed in solo Iordane Naaman Syrus à lepra mundatus est. Non soluebat calceamento in omni loco Moyses, dùm loqueretur ad Dominum, sed de cuiusdam loci sanctitate, ait illi Deus, *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, Terra sancta est, &c.* Et de alio loco ait Iacob, *verè locus iste sanctus est, & ego nesciebam, &c.*

Ex his patet clarissimè quomodo Deus ipse sibi peculiaria quandóque loca eligat, in quibus & mirabilia sua operetur, quæ etiam voluit speciali pietatis honore venerari.

Abeant ergo hæretici, interempti, & contriti, ex quo enim à Virgine Deipara omnis benedictionis, sanctitatis, & pietatis fontem & authorem Christum accepimus proiecti sunt cum Serpente antiquo, cuius caput validè ipsa contriuit; & ex quo per eam salus credentibus apparuit, cunctas hæreses sola in vniuerso mundo interemit.

Conclusio Capitis, continuationisque & extensionis eiusdem.

NON solùm aperuit os suum hæretica prauitas in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant, sed & in ipsa nequitia ac impietate sua, etiam sæuit in mortuos, & Ecclesiam Dei pro mortuis orantem, impiissimè persecuta est.

Sed hanc quoque hæresim valide interemit Deipara Virgo quando peperit & aluit Christum Redemptorem quem pro viuis & defunctis in Eucharistia offerunt quotidie Sacerdotes.

Ex Virgine namque habuimus vnde non solum & vitia nostra purgentur, & fidelium iusta desideria compleantur, sed vnde & mortui è purgatorio liberati, in patriam cœlestis beatitudinis gloriosè introducantur.

Vidi, ait Ioannes Apostolus, *subtus Altare Dei animas interfectorũ propter verbũ Dei, &c.* Vbi notandum, quòd animarum defunctorum quædam supra altare, quædam verò subtus altare, quædam tandem contra altare Dei esse leguntur. De primis scribitur. *Alius Angelus venit, habens thuribulum aureum; & data sunt illi insensa multa, vt daret de Orationibus Sanctorum omniũ super Altare aureum, quod est ante Thronum Dei.*

De secundis dicitur, *Vide subtus Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei.* De tertiis verò habetur, *qui non est mecum contra me est.* Per primos itaque, sancti intelliguntur, nullo indigentes solatio, & summo iam perfruentes bono, in quorum memoriam Deo Ecclesiæ ædificantur, Altaria construuntur, & sacrificia super Altaria offeruntur. Per secundos animæ fidelium Ecclesiæ suffragia postulantes designantur; Per tertios verò animæ reproborum & hæreticorum, quibus nulla est spes ad æternam salutem denotantur.

Exindè cùm omnia in figuris antiquitùs contingerent, non sine mysterio ter Noë columbam ex Arca emisisse legimus: cùm enim per arcam Ecclesia figuretur, per columbam

eiusdem Ecclesiæ suffragium non incongruè designatur. *Noe itaque aperuit fenestram arcæ, & emisit Columbam, quæ cùm non inuenisset vbi quiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam. Expectatis autem vltra septem diebus aliis rursum demisit Columbam ex arca; at illa venit ad eum ad Vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo.* Et intellexit ergo Noë, quod cessassent aquæ super terram, expectauit nihilominus septem alios dies, & emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum. Ita in Ecclesia, cùm pro defunctis emittitur ad Deum suffragium, si suffragium illud inuenerit animam hæretica prauitate damnatam, vel aliquo alio mortali vitio æterna beatitudine priuatam, ad orantem, seu eleemosinas facientem vel ieiunantem, & aliquod opus bonum, pro animabus defunctorum in gratia patrantem, reuertitur.

Reuertitur item si animam iam æternæ beatitudinis præmio laureatam inuenerit, sed portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore, id est, beati, tali suffragio non egentes & mutuæ charitatis apud Deum deprecanti, fideli viatori benignè beneficium rependentes, singularem à Deo ei obtinent aliam gratiam: quòd si anima pro qua suffragium emittitur, in purgatorio sit, tum amplius non reuertitur, inuenit enim vbi quiescat & pascat, &c.

Et hic est tertius locus, in quo fidelium animæ, iuxta fidem Catholicam purgantur, & à quo sæpius fidelium viatorum suffragiis liberantur.

Cùm enim omnis res bene ordinata habeat inter duo extrema, medium suum, vt est inter album & nigrum viridus, cinericius, & rubeus color, in hisque sunt obiectum visus: vt etiam est salsum, grassum, & mordicans, inter amarū & dulce. In hisque sunt obiectum gustus. Vt est pariter tepidum, inter frigidum & calidum, in hisque sunt obiectum tactus: Vt est denique mediocris cantus inter altissimum & infimum cantum, in hisque sunt obiectum auditus, vt est tandem rosa, lilium, & balsamum, inter fœtorem nimium & odorem fœtidissimum in hisq; sunt obiectum odoratus. Vt est inter mane & Vespere meridies, inter Creatorem & creaturam rationalem charissimus mediator Dei & hominum

homo Christus Iesus. Inter Redemptorem ipsum & hominem peccatorem redemptum, mediatrix misericordissima Maria Virgo Deipara, ita inter paradisum beatorum & infernum damnatorum est purgatorium fidelium defunctorum, de quo Genes. 3. & 37. figuræ habentur, & Isaïæ 4. Micheæ 7. Zachar. 9. Psalm. 65. 16. 15. 29. 8. 5. Cor. 3. Math. 22. & 12. Machab. 2. Tob. 4. Baruc. 3. 1. Cor. 15. Act. 2. ad Philippenses 2. Ephes. 4. & Hæbræorum plurima ac varia habentur.

Hæresim autem, qua Ecclesiæ suffragiorum merita defunctis denegantur, Virgo Deipara omnium fidelium Mediatrix potentissima penitùs extinxit, quando Christum viuorum & defunctorum redemptorem, spoliatorem inferni, mortis destructorem, & verum animarum liberatorem, nobis genuit, nutriuit, & educauit, ex ea enim, & per illam habuimus sacrificium redemptionis Christi, quod Christus Sacerdos secundum ordinem Aaron semetipsum primus obtulit cruentatum, & sacrificium religionis in Eucharistia quo seipsum item obtulit incruentatum secundum ordinem Melchisedech.

Sicut autem pro omnibus viuis & defunctis mortuus est, in cruce semel: sic pro eisdem in Eucharistia offertur quotidie. Sacrificium enim Eucharistiæ est applicatiuum sacrificij crucis; nam quemadmodum quotidie indigeo applicatione luminis Solis, vt oculis, quæ in mundo sunt, videam, per semetipsum autem sol ipse applicat se quotidie oculis meis; sic oblatione Eucharistiæ quotidiana, id est, applicatione quotidiana oblationis crucis indigeo ad salutem; Christus verò (vt suprà ostensum est) per semetipsum id operatur; qui, vt ait Ecclesia; *Altare, Hostia, & Sacerdos noster est.*

Vnde sanctus Augustinus in Enchirid. ait: *Sacrificia siue Altaris, siue quarumcunque fidelium eleemosynarum, pro baptisatis defunctis omnibus offeruntur; nam pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valdè malis propitiationes sunt: pro valdè malis, & si nulla sint adiumenta mortuorum, tamen qualescumque viuorum consolationes sunt.* S. August.

Cùm itaque per fructum benedictum benedictæ Virginis Deiparæ, tales, ac tantos salutis fructus habeamus viuis ac defunctis vtiles: non incongruè acceptam ab ea gratiam agnoscimus; Immò meritò per ipsam omnem hæreticam prauitatem interemptam asserimus, iuxta Ecclesiam dicentem; *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo.*



AD

Digitized by Google

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM DEIPARAM PRO CONCLVSIONE HVIVS TRACTATVLI.

ORATIO.

TE decet laus, te decet Hymnus (VIRGO SANCTISSIMA) *Tibique meritò nostrum redditur omne votum, ex quo Virgineo partu, benedicta in æternum Deum nobis & hominem dedisti.*

In omnem terram ô vtinam exeat nunc sonus vocis meæ, & in fines orbis terræ verba mea dilatentur, cùm summæ & integræ Maternitatis tuæ prærogatiuas, dignis nominibus, dignisque honorum titulis exprimere gestio.

In benedictionibus dulcedinis suæ me dilectus Filius tuus Dominus meus Jesus Christus præuenire dignatus est, quando hanc ipsam tuam summam sanctámque integram & perfectam Maternitatem, quatuor miris prærogatiuarum excellentiis, de

quibus hoc Tractatulo tractatum est decoratam colere docuit, cæterisque colendam proponere ac prædicare incitauit.

A mea certè ipsa exiguitatis exilitate, à meis (inquam) tenebris, nulla vis, nulla lux, nulláque virtus prodire potuisset, qua in tantæ dignitatis prærogatiuarum notitiam hæc exhiberem, nisi per te adfuisset, quem ex te totus mundus habuit, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Inter singularia igitur gratiarum tuarum dona, inter præcipua donorum tuorum beneficia ac beneficiorum testimonia, numero aliquid de tantæ dignitatis integritate cognoscere, & in aliorum vtilitatem chartis potuisse consignare.

Veni ergo, ô dilecta, & me hoc nouo dono tuo bea,
& da, vt iugiter in me legantur à te,
quæ hic legentur à tuis.

Digitized by Google

TRACTATVLVS SECVNDVS.

DE SVAVISSIMO LACTEÆ Educationis Saluatoris Mysterio; In quo vera, integra, & perfecta ac summa sanctissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ Maternitas, dignis proponitur honoribus veneranda.

AD TRACTATVLI COMMENdationem Præfatiuncula.

QVOD in singulis totius Opusculi Tractatulis pertractare pertentamus, ad integram, & perfectam, sanctámque, ac summam, sanctissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ Maternitatis integræ gloriam pertinet, ideo sanctum est, & singulari pietatis affectu venerandũ, proindéq; in legendo, deuota attentione dignum, sed maximè quod in hoc secundo, ex sacrâ Scripturâ, & sanctis Patribus collectum compegimus. Lactando etenim filios suos, Mulieres integram integræ Maternitatis gloriam consequuntur.

Sed quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei,*

Digitized by Google

& qui ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, non carnalibus, ſed ſpiritualibus hic Tractatulus legendus proponitur.

Soluat ergo calceamenta de pedibus, & inuolucra ponat cogitationum carnalium, qui accedere concupiſcit: de ſinu enim, de pectore, de vberibus, de lacte, de blanditiis, de oſculis, de amplexibus ſermo noſter eſt.

Sed fidelis reuerà ſermo, & omni acceptione dignus, qui de ſinu Virginali, de ſacro immaculatæ Virginis Deiparæ pectore, de lacte Virgineo, de Virgineis vberibus, de Virgineis oſculis, caſtiſſimiſque amplexibus, ac blanditiis eſt, quibus Virgo Mater, Verbum ipſum propter nos caro factum demulcebat.

Pietati itaque animæ hominis ſpiritualis, accurata commendatione Tractatulus concreditur: ſanctum enim dare canibus, & ſeminare margaritas ante porcos, iuxta Saluatoris ſententiam prohibemur.

Piiſſime, LECTOR, ſecurus accede, vt enim (ait Brucherius.)

Ioannes Brucherius Trecenſis Monachus Ciſterſ. Cant. 3. piorum Carm. in Nat. Dom.

VIRGO *ſalutiferum cunctis lactauit* IESVM,
Lactauit cunctis, Virgo ſalutiferum.
Quem peperit Virgo, Qui Virginis vbera ſuxit,
Ortu lætificat cuncta creata ſuo.

Lac Virgineum, non venenum inuenies, quo inebriatus Virgineo potu lactantem Puerum cum eodem Brucherio in his maximè temporum calamitatibus, ac bellorum tempeſtatibus ſic ſalutabis.

Sancte puer ſalue ſupremi gloria ſecli,
Omnigem ſalue, fons, & origo boni,
Qui potes atque ſoles amiſſam reddere pacem,
Chriſticolis tanto conſule Chriſte bono.

QVANTO PIETATIS ARDORE, quantoque deuotionis affectu, suauissimum lacteæ educationis Saluatoris Mysterium, sancta Ecclesia prosequatur.

CAPVT PRIMVM.

A Fine vsque ad finem, sapienter, suauitérque disponit omnia sanctâ Mater Ecclesia, in ritu maximè diuini cultus, quo, à prima primi mensis, vsque ad vltimam totius anni diem, per singulas horas in Hymnis, Psalmis, & Canticis spiritualibus benedicit Deum, sed præcipuè quando de beata lactatione Saluatoris, fidelibus, laudis thema specialis, specialiter proponit.

Incarnationis simul & lactationis beatissima mysteria iam olim venerabatur Ecclesia, dum velut sponsa ad sponsum clamabat; *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Et iterum. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat, &c.* In lactatione namque foris inuenitur infans ex vtero natus, deosculaturque, amplectitur, ac inter vbera collocatus omnibus à Matre blanditiarum delectamentis delinitur.

Cantic. 1. Ecclesia, mysterium beatissimi lactatus Saluatoris semper est venerata.

Per Incarnationem itaque, datus est nobis à Patre, iuxta illud; *Sic Deus dilexit Mundum vt Filium suum vnigenitum daret, &c.* Per Natiuitatem verò, natus est nobis ex Matre, vnde Propheta; *Paruulus datus est nobis, & Filius natus est nobis, &c.* Sed in suauissimo lacteæ educationis mysterio, non solùm à Matre Virgine, sed & ab hominibus visus est,

& cum illis conuersatus est.

Sola Virgo in penetralibus erat, sola sine comite, sola sine teste (vt ait sanctus Ambrosius) quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, quando Verbum de Spiritu sancto concepit.

In Natiuitate item, apparuit quidem benignitas & humanitas huius Saluatoris nostri Dei, sed tunc à Matre tantum, à Iosepho Sponso, & Pastoribus quibusdam visus est.

Christus antea velut absconditus, in lacteæ educationis suæ suauissimo mysterio, ab Ecclesia est agnitus, & ab ea amplexatus.

In lactea autem educatione, Ecclesię propositus est, ab ea agnitus, amplexatus, & deosculatus, vti videre licet in adoratione Magorum, in Purificatione Virginis Matris, secundùm Legem Moysi, quando à Simeone, & ab aliis iustis in Templo visus est & adoratus est.

Sancta ergo Mater Ecclesia non inutili profectu, sed mirabili affectu suauissimum beatissimi Redemptoris lactatus mysterium veneratur, his maximè temporibus, quibus infantiæ eiusdem augustissima sacramenta recolendo, talibus vtitur verbis:

Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Item, beata viscera Mariæ Virginis quæ portauerunt æterni Patris Filium, & beata vbera quæ lactauerunt eum; & iterum, Saluatorem seculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno; Et tandē, O gloriosa Domina, excelsa super sydera, qui te creauit prouidè, lactasti sacro vbere.

In suauissimo lactatus Saluatoris mysterio summam, & integram. B. M. V. Maternitatem veneratur Ecclesia.

Sed & in eodem Mysterio suauissimo summam, sanctamque integram, & perfectam lactantis Virginis Maternitatē, pari deuotione reueretur, cum ait, Gaudia Matris habet, cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Et cum hæc verba Mariani Cantici recitat, *fecit mihi magna qui potens est, &c.* Clarum est enim magna Virgini benedictæ huic, Deus ipse fecisse cum illam

Digitized by Google

non dimidiatam, nec partitam, aut diuisam, sed integram & perfectam Matrem Verbi sui, hoc est, Matrem simul & Nutricem, ac Gubernatricem, Virginitatis gloriæ permanente, effecit.

In hoc tandem Mysterio suauissimo, honor sanctæ Ecclesię sponsæ, iuxta testimonium Scripturæ allatum; *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera Matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat*, tantorum sæculorum sub figuris & vmbris absconsus, cœpit manifestari. *In suauissimo lactea educationis Saluatoris sancta Ecclesia à despectu purgatur.*

Tunc enim Pastor Iudæus, Gentilis Magus, Iudæa & Galilæa; immò, & Ægyptus Christum agnouit, & ex his omnibus gloriosam sibi Saluator ipse adhuc paruulus & lactans, Ecclesiam exhibuit, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, quam ex tunc totam pulchram, & amicam, sororem sponsam, & immaculatam appellauit; quę ergo sub tantorum sæculorum vmbris velut despecta, & figurarum obscuritatibus abscondita, iacens videbatur despecta, nunc gloriosa exhibetur Christo, dum Virgineo sinu ipse excipitur, Virginali vbere lactatur, Virgineo pectore fouetur, & omnibus à Virgine Matre fidelibus proponitur adorandus.

QVANTA PECVLIARI DEVOtione, quidam Summi Pontifices, suauissimum Virginei lactatus Saluatoris Mysterium coluerint. Ac proindè sacratissima sanctissimæ Virginis vbera laudibus extulerint.

CAPVT II.

Christus ipse, plurimique alij Summi Pontifices ex lactea educatione Saluatoris, sacratissima sanctissimæ Virginis vbera summis laudibus extulere.

CHRISTVS IESVS, Æternus Pontifex futurorum bonorum, Episcopus animarum nostrarum, Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, Pontifex, inquam, noster innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cœlis factus; ipse est primus, qui immensa, immensæ bonitatis, & charitatis dignatione, sacratissima sanctissimæ Virginis vbera, & in illis suauissimum lacteæ educationis suæ Mysterium gloria, & honore, specialibusque laudum præconiis adeò euexit, vt quasi cum admiratione dicat. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa? pulchriora sunt vbera tua vino, duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli, capreæ, qui pascuntur in liliis, &c. Statura tua assimilata est palmæ; & vbera tua botris. Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, &c.* Ecce qualibus & quantis, à Christo Domino Pontifice Summo & primo, laudibus euecta, ac gloriosis honorum titulis glorificata sint, ob diuinissimum eiusdem beatissimi Saluatoris lactatum, sacratissima sanctissimæ Virginis Mariæ vbera. Exindè & nos beata illa dicimus, & sacrosanctum Mysterium præfatum inter præcipua Redemptionis nostræ sacramenta computamus.

Inno-

Innocentius III. Papa, pius & doctissimus vir huius deuotionis suauitate affectus, Hymnum composuit de Christo & beatissima Matre, quem recitantibus populis certas, ac magnas, (vt ibi habetur) contulit indulgentias, & in quo Virginem ipsam sacram, Christumque dulcem eius Filium simul & alumnum alloquens, hæc duo Incarnationis videlicet & lactationis mysteria venerando, sic ait; *Innoc. VIII.*

Sancta parens Iesu Christi,
Electa sola tu fuisti,
Esse Mater sine viro,
Et lactare modo miro, &c.

Innoc. III. Papa in Hymno de Christo & B. M. V. post lib. 6. operum eius. & ante 3. lib. de contemptu mundi.

Christe Fili summi Patris,
Per amorem tuæ Matris,
Cuius venter te portauit,
Et te dulci lacte pauit,
Te per ipsam oro supplex, &c.

Ecce quo pietatis zelo mouebatur piissimus Pontifex summus iste, erga sacrosancta nostri instituti mysteria, vnde patet, nos nihil nouum tradidisse, sed ad maiorem Christi Redemptoris nostri paruuli, atque lactantis gloriam, hoc nostro Opusculo antiquam Summorum Pontificum pietatem eorum vestigiis inhærendo, coluisse.

Xistus IV. ex sacro Minorum ordine assumptus, sacram, venerandamque Diuæ Virginis imaginem, Virginei lactatus Saluatoris mysterium referentem, vt tractatulo de miraculis dicetur, adeò coluit, vt sæpius summis votis, pro pace inter summos Principes Christianos impetranda, ante illam prostratus oraret, quam in templo S. Mariæ de Pace in vrbe, à se ædificato collocatam, illustrissimis Ecclesiæ Lateranensis Canonicis Regularibus, quotidianis laudum exercitiis reuerendam, tradidit, & sanctam Mariam de Pace nominauit. *Xist. IV.* *Leo X.*

Leo X. voluit vt totum Officium Horarum Canonicarum

per verba hæc terminarentur; Et *beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum*: propterea orationem illam quam ipse composuit, quæ incipit, *Sacrosancta*, &c. in fine Horarum recitantibus, defectus, & culpas in soluendis horis, ex humana fragilitate contractas piâ, & Apostolica liberalitate indulsit.

Vrbanus VIII. Vrbanus tandem Octauus, huius suauissimæ deuotionis erga præfatum beatæ lactationis Saluatoris Mysterium, mira suauitate affectus, in reformatione metricarum precum Ecclesiastici Breuiarij, voluit, vt quod antea in temporis præteriti memoria venerabatur, temporis mutata circumstantia, à cunctis fidelibus mysterium in temporis præsentis veneratione recoleretur, dum in Hymno qui incipit;

O gloriosa Domina, &c.

Hæc verba, *Qui te creauit prouidè, lactasti sacro vbere:*

Ita mutari & recitari mandauit;

Qui te creauit prouidè, lactante nutris vbere:

Quasi vellet pius Pontifex fideles omnes, ante oculos mentis, Mysterium hoc sacrum, iugiter velut præsens habere, & in hoc, Melleus idem Pontifex, sacrarum suarum apum mella, quodammodo Virginei lactis sacrorum vberum sanctissimæ Virginis cœlesti dulcedini, ita sua in prædictum beatæ lactationis Saluatoris mysterium pietate immiscuit, vt exindè, fidelibus quasi Cataplasma quoddam salutis, & miræ pharmacum virtutis composuerit.

Digitized by Google

PAVCA EX MVLTIS DE SVAuiſſimo Virginei lactatus Saluatoris Myſterio, in figuris Scripturarum adumbrata, dilucidè aperiuntur.

CAPVT III.

QVANDO Deus Pater vnigenitum Filium ſuum nobis donauit, nonne etiam cum illo omnia nobis donauit? benedixit nos in omni benedictione cœleſti, in Chriſto Filio ſuo dilecto, & per illum etiam adhuc lactentem & ſugentem vbera, bonis omnibus repleti ſumus.

Benedictionem Domini ſuper populum ſuum, maximè cum ante eius conſpectum paruuli & ſugentes vbera congregantur, videre licet ex Propheta dum ait; *Canite tuba in Sion, &c. Congregate paruulos & ſugentes vbera, &c. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem? Et reſpondit Dominus & dixit populo ſuo, Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum & oleum, & replebimini in eis. &c.* Si ergo illi paruuli & lactentes, ita grati Deo extitere, vt propter innocentiam, ſimplicitatem ac puritatem eorum, Deus ipſe populo ignoſceret, & tantis ditarentur temporalibus bonis qui infantium & lactentium tanquam murum iræ Dei innocentiam opponerent; Quantò magis nunc in Vnigenito Filio Dei adhuc vbera ſanctiſſimæ Virginis lambente verificatum eſt, quod in iſtis tanquam in figuris adumbratum erat? *Omnia enim in figuris*, ait Apoſtolus, *contingebant*; Notum ſit ergo omnibus nobis, & omni plebi, quoniam Dominus Ieſus, etiam adhuc paruulus & lactans, fons eſt & origo omnis benedictionis, iuſtitiæ & boni, qui ita Deo Patri gratus extitit, vt omnem eius iram placaret, reatum noſtrum deleret, ac omnibus noſtris, tum ſpiritualibus,

Ioël 2.

Chriſtus lactans iram Patris placauit.

Digitized by Google

tum corporalibus necessitatibus subueniret. Quod vt infra videbitur, iam adimpletum in die ablationis eius in templo veneramur, verè per puerum istum (vt latiùs infra patebit) paruulum atque lactentem bonis omnibus repleti sumus.

Leuit. 22. Christus lactans oblatio Patri grata.

Bos, Ouis, & Capra, ait Scriptura, *cum genita fuerint septem diebus erunt sub vbere Matris suæ, die autem octauo & deinceps offerri possunt Domino, &c.* Assumitur ergo de sub vbere Matris oblatio munda, quæ deinceps sit Domino acceptabilis & grata; omnia autem ista in figuris facta sunt, per hæc ergo, aptissimè designatur ille, de quo scribitur; *Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut Agnus mansuetus coram tondente se, non aperuit os suum;* Et, de quo dicitur, *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, &c.* Qui post lactationis septimum diem, in die octauo circumcisus, sanguinem preciosissimum Patri pro nobis obtulit in salutem, tunc re verà dilectus ille candidus & rubicundus extitit. Candidus in lacte nutritionis, & rubicundus in lacte circoncisionis sanguine; Deinceps autem & quadragesimo maximè à Natiuitatis die, de sub vbere Matris, digna Deo Patri hostia; dignum, inquam, quod deinceps & in cruce, & in Eucharistia pro redemptione generis humani Domino offeratur, assumitur holocaustum, vt tandem per illud Deo reconciliati, & sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi.

1. Reg. 7. Temporibus lacteæ educationis Christi in templo oblatus, agnus ipse redemptas oues Patri reconciliauit.

Tulit Samuël agnum lactantem vnum, & obtulit illum holocaustum Domino, & exaudiuit eum Dominus, &c. *Et factum est cum Samuel offerret holocaustum Philistiim iniere prælium contra Israël, intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filiis Israël, &c.* Præclarè hoc sacræ Scripturæ testimonio, in figuris adumbrata virtus agni immaculati patet, agni, inquam, illius de quo loquebantur sancti Patres cum dicerent; *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, &c.* De quo Baptista sanctus; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: qui adhuc sacratissima sanctissimæ Mariæ vbera sugens, Patris iram fregit, infernorum exercitum dissipauit, peccati tyrannidem dissoluit, ac mundi huius omnem exterruit potestatem. Vnde piè, ait Augustinus, timeant Reges ad Patris dexteram

Digitized by Google

iam ſedentem, quem Rex impius timuit adhuc Matris vbera lambentem: de Herode loquitur, qui puerum quæſiuit ad necem, & iam timebatur à malis cum quæreretur à Magis, à quibus inuentus eſt ſub vbere Matris. *Ex ore infantium,* ait Pſaltes, *& lactentium perfeciſti laudem, vt deſtruas inimicum & vltorem*: At cum non ſit pulchra laus in ore peccatoris, & omnes indigeant gratia Dei à minimo vſque ad maximum, etiam infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram, benè de Chriſti Infantis & lactentis perſona, Propheta ſanctus intellexit, quod dixit ex cuius ore laus perfecta profluit, per quem Angeli omnes Deum laudant, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, Cœli Cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphin, ſocia exultatione concelebrant, cum quibus & nos, noſtras voces cum coniungimus, per eum intra exauditionis & veræ laudationis ſacrarium, admittimur.

Quam pulchra laus eſt in ore iuſti huius infantis & lactentis qui eſt ſpeculum ſine macula, ſplendor paternæ gloriæ, figura ſubſtantiæ Patris, & Imago bonitatis illius, à voce laudantis pueri illius deſtruxit Deus Pater inimicos & vltores, Diabolum, Mundum, Carnem, & Peccatum, nouà planè nundum arte deluſit puer iſte adhuc lactens & ſugens vbera dum Patri in die oblationis eius & purificationis Matris, ſecundum Legem Moyſi, ſe pro nobis obtulit, in Mundo erat, & Mundus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cognouit, ſolus ille ipſum agnouit qui cum eſſet in Mundo, de Mundo non erat & iuſtus deſcribitur, apparuit tunc in carne Dei Filius vt diſſoluat opera Diaboli, qui quæſiuit illum ad necem per infantium & lactentium occiſionem, ſed ex tunc ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulauit, & conculcauit Leonem & Draconem puer & lactans Chriſtus.

Chriſtus lactans, noua mundum arte deluſit.

NONNVLLA SACRÆ SCRIpturæ Teſtimonia de Marialibus Nutritiis, quod ſacra Virgo (vbere de cœlo pleno) quem de Spiritu ſancto concepit, & peperit Saluatorem nutrierit, aſſumuntur, & breuiter applicata explicantur.

CAPVT IV.

CVM Nutritia, præmia & mercedes dicantur, quæ Nutricibus pro lactatione filiorum Principum & aliorum aſſignantur in ſuauiſſimo lactee educationis Saluatoris myſterio, benè & congruentiſſimè ſacratiſſimæ Virgini præmia debentur, quod ſola, vbere de cœlo pleno, Virgo poſt partum nobis lactauit, quem de Spiritu ſancto, Virgo ante partum concepit, Virgóque in partu peperit nobis; Nobis itaque datus, nobis natus ex intactâ Virgine ſit in primis merces eiuſdem intactæ, & ſemper immaculatæ Virginis, qui olim Abrahæ dicebat; *Noli timere, Abraham, ego Protector tuus ſum; & merces tua magna nimis*; *Et cui ſancta Eccleſia loquens*, ait, *Deus tuorum militum, ſors, & corona, præmium, &c.* Cui etiam Doctor Angelicus dicenti ſibi, bene ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Reſpondit, non aliam, niſi te Domine. Sit, inquam, ille prima Corona, prima Merces, primum diuinum, ac ſummum præmium ſanctiſſimæ Virginis.

Geneſ. 15. Deus ipſe merces B. M. V. quod Chriſtum lactarit infantem.

Sed quoniã alia à nobis etiam in figuris adumbrata Scripturarum illi debetur merces; omnia quæ infra continentur, & tractantur ad honorem & gloriam verę, integrę & perfectæ Maternitatis eius, pro præmiis & mercedibus ei vt debentur (dignè aſſignantur) & offeruntur humillimè.

Nutritia autem Diuæ Virginis benè adumbrata celebran-

tur, in Exodo, quando filia Pharaonis eductum Moysen puerum de aquis quem sibi in Filium adoptauit; Mulieri Hæbreæ lactandum & nutriendum tradidit, dicens; *De Infantibus Hæbræorum est hic, accipe puerum istum & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam:* Ibi enim de lactea nutritione, & de mercede Nutricis agitur, omnia autem in figuris contingebant, per Moysem Christus, & per Mulierem Hæbræam Matrem simul & Nutricem eius, sanctissima Virgo, iuxta mentem Seraphici Doctoris designatur: sed quid illi pro mercede dignum dare potero? Iam non rogo illam, si forte dignabitur medietatem de omnibus quę in hoc Opusculo pręparaui sibi assumere, sed potius sibi omnia tanto ac tam naturali iure debita tanquam ab ea mihi concessa pro Marialibus Nutritiis simul cum Filio suo Iesu Christo benedicto offero. Exod. 2. S. Bonau. in 11. Luc. Tob. 12.

Risum Sara sterilis quasi pro mercede accepit, quando Isaac quem Abrahę peperit, etiam lacte suo nutriuit; Vnde ait; *Risum fecit mihi Deus & quicumque audierit corridebit mecum, quis auditurus crederet Abraham quod Sara lactaret Filium, quem peperit ei iam seni?* Genes. 21.

Et Anna illa Mater Samuëlis replebatur consolatione & superabundabat gaudio, lactando Filium suum, vt nec illũ quidem absentem vnius licet diei & horæ spatio à se sustinere posset; Vnde, *Non vadam,* ait, *donec ablactetur infans, &c. mansit ergo Mulier,* inquit Scriptura, *& lactauit Filium suum donec amoueret eum à lacte:* Risus autem isti, hæ consolationes, gaudia ista præclara, erant illis sanctis Mulieribus, quasi pro præmiis & mercedibus lactationis filiorum suorum, sed quantò ampliori mercede illas omnes supergrediatur Virgo sanctissima, declarat sancta Mater Ecclesia, dum de ea canit, quod gaudia Matris habet cum Virginitatis honore; nec primam similem visa est nec habere sequentem, & iterum Saluatorem sæculorum ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno, & hęc sunt plena gaudia Matris Virginis; Matris, inquam, non dimidiatæ, sed integræ & perfectæ, hoc est, Matris simul & Nutricis, Gubernatricisque Dei, Virginisque perpetuæ, quibus gaudiis gaude-

bat, affluebat, & fruebatur temporibus maximè educationis beatissimi Saluatoris, vt etiam in sequentibus fusè ex sanctis Patribus videbitur

QVALIBVS ET QVANTIS Deliciarum imbribus, ac spiritualium voluptatum affluentiis, Virgineum cor, Virgineusque animus, sanctissimæ Virginis Deiparæ lactando Saluatorem abundauerint, ex Patribus colligitur.

CAPVT QVINTVM.

S. Cyprian. Serm. de Natiuit. Dom.

PARVVLVS sugens vbera (ait sanctus Cyprianus) pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defœcatum edulium ori mundissimo infundebat, sed & cor Matris quædam dulcedines quæ omnem superant intellectum imbuebant, eratque vtrinque mira iucunditas, cum pia sanctæ Matris & deuota humilitas; & Sancti Sanctorum immensa benignitas confœderatis affectibus mergerentur: (& post pauca) Attrectat, inquit, Virgo Mater, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio.

Mira Christi lactantisque & B. M. V. in lactatione Saluatoris cordis deliciarum suauitas.

S. Aug. serm. 9. de Nat. Dom. & serm. 35. de sanctiss. qui est 2. de Assumpt. B. M. V. & serm. de Annunc. eiusd. B. M. V.

Felicia, ait sanctus Augustinus, prorsus oscula labiis impressa lactentis cum inter crebra indicia reptantis infantiæ vtpotè verus ex te Filius tibi Matri alluderet, cum verus ex Patre Dominus imperaret. Lacta Creatorem tuum, Lacta panem Christi, lacta pretium Mundi, præbe lambenti mammillam, vt ipse præbeat percutienti se maxillam, lacta eum qui fecit te, vt talis fieret ex te. Quis posset æstimare, vt cibus hominum & panis Angelorum, aleretur? admiremur gratulemur, amemus, adoremus, laudemus, gratias illi agamus.

Inspi-

Inspiciat oculus deuotionis, ait sanctus Anselmus, paruulum Iesum dulces mamillas gloriosæ Virginis dulciter sugentem, & mamillas maternas filiali more tractantem: quid visu iucundius? quid delectabilius? quid suauius? cerne illum qui immensus est, paruulis brachiis ad materna colla pendentem, sed cogita & recogita quo animo tenebatur illa, & qua cogitatione dulcissima Mater eius, cum illum Dominum tantum ac tantillum in brachiis suis exultans & læta teneret, cum ei vt infantulo gestianti, dulcibus osculis ac frequentibus congauderet; cum denique aliis, atque aliis studiis, ad quæ ipsam materna pietas informabat, ei pro qualitatum vicissitudinibus Sedula blandiretur. Huc vsque sanctus Anselmus.

S. Anselm. lib. Medit.

Quem Cœli capere non poterant, inquit sanctus Bernardus, portasti, Virgo benedicta, & non defecisti, genuisti, aluisti, mammasti, pauisti, lactasti, nutriuisti, educasti, fœlicia prorsus oscula labiis lactantis impressa, cui Virgineo Mater applaudebat in gremio, &c.

S. Bernard. Super Salue Regina.

Benedicta tu in Mulieribus,
Benedic te benedicentibus,
Benedictis tuis vberibus,
Qui dat escam esurientibus,
hunc lactasti.

S. Bernardus in Hymno Summe Summi tu Patris vnice.

Cum quantâ iucunditate, ait Seraphicus Doctor, confidentia, & authoritate materna ipsum amplexabatur, quem Deum suum esse sciebat, flexis genibus accipiebat eum de cunis, lactabat, osculabatur, stringebat dulciter, & in eo mirificè delectabatur; O quam libenter eum lactabat, vix fieri potuit quin magnam, & aliis fœminis inexpertam dulcedinem in talis Filij lactatione sentiret, concludit his versiculis Poëta Christianus.

S. Bonau. c. 10 li. Medit. Vitæ Christi.

Quo studio natum, quâ sollicitudine Mater
Sancta, quibus curis, & quâ curauerit arte,

Baptista Mantuanus.

Non, si mille mihi boreas inflauerit ora,
Milleque veloces surgant in carmina linguæ,
Expressisse satis liceat, tollebat in vlnas,
Et figens oculis oculos præcordia flammis
Dulcibus vrebat, teneros amplexibus artus
Stringebat lacrymans, roseæ dabat oscula frontis,
Vbereque exerto, dulcem inuitabat ad escam.
Ergo te gremio raptantem, & nota petentem
Vbera, chare puer, molli studiosa fauebo
Amplexu, tu blanda tuæ dabis oscula Matri
Arridens, colloque manum, & puerilia nectes
Brachia, & optatam capies per membra quietem.

Alij passim Doctores etiam aliquid de deliciis tantis ac tam sanctis exprimere conantur.

Carthagena lib. 15. Hom. 5. de B. M. V. Cur beata, ait vnus, non fateamur oscula, quæ dilecta dilecto in charitate non ficta toties ac tam reuerenter delibauit, quæ à nato vicissim amanter accepit, cum in Virginali sinu talem Filium talis Mater amplecteretur, & tam dulce dulci de collo penderet onus; quod eadem Parens, nutrix, & gerula, manibus circumferret, gestaret in vlnis, foueret in gremio, ac sæpenumero blandissimè demulceret? quem vero demulceret? Lilium Conuallium, Israëlis gloriam, lumen gentium, delicias orbis terrarum, suum cor, suum thesaurum, suum decus, & solatium, suum vnicumq; præsidium. Certè Mathildi sanctæ Virgini, hoc reuelauit Deus, sæpenumerò vsu venisse, vt beata Virgo suum Infantulum in gremio foueret, suumque caput, illius capiti suauissimè applicaret, ita vero factum esse, vt Filij caput & faciem profusis amoris lachrymis irrigaret. Hunc vero Sermonem Matri eo tempore familiarem vsitatumque fuisse vt compellens Filium diceret; O salus & gaudium animæ meæ.

Hom. 17. Dum ergo Infantulo huic dulcissimo blandiebatur mirum in modum animus eius recreabatur, summas sibi deli-

cias meritò arbitrans, Æterni Patris Filium cœlesti illo suo lactis nectare potare, &c. (hactenus Carthagena.

Ego vero vermis & non homo, puluis & cinis, catulus edens de micis quæ cadunt de mensa dominorum meorum sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum, vadam vt Mulier sancta, sanctæ Scripturæ; Vadam, inquam, sequens Messorum vestigia, & colligam spicas post terga Metentium, & quæ collegi spargendo, in medio Ecclesiæ fratribus meis annunciabo & narrabo, quanta fecit Dominus animæ Dominæ meæ Matris suæ benedictæ, quando non solum ex ea nasci, verum etiam ab ea lactari, nutriri, educari, ac gubernari voluit, quod & sequentibus tum capitibus, tum tractatulis ipsa nihilitas mea ad maiorem Dei & summæ, integræ ac perfectæ Maternitatis sanctissimę Virginis gloriam ostendere ac pertractare pertentat.

EXPRIMIT EX SACRA SCRIptura in lactea educatione Saluatoris delicias suas ipsamet Virgo dignissima. Cui adridens Christus benedicit. Ac inter Sacratissima eius vbera mirificè delectatur.

CAPVT VI.

Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Fulcite me floribus; stipate me malis, quia amore eius langueo: sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Dilectus meus mihi, & ego illi; Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Dilectus meus candidus & rubicundus qui pascitur inter lilia, electus ex millibus, qui commoratur, & pascitur inter vbera mea; Ego murus & vbera mea sicut turris, ex

Deliciæ Virginei cordis sanctissimæ Virginis in suauissimo. lacteâ educationis Saluatoris.

Digitized by Google

quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, ego effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso: dixi rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum; Venite, comedite amici, & bibite cum ipso vinum & lac, & inebriamini charissimi. Oculi dilecti mei sicut Colombæ super riuulis aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima; omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, venite, & bibite, & absque vlla commutatione vinum & lac, & delectabitur in crassitudine anima vestra.

Introduxit me Rex in Cellaria sua, ordinauit in me charitatem. Botrus Cypri Dilectus meus in vineis Engaddi. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me; guttur eius suauissimum, labia eius distillantia myrrham primam, genæ ipsius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis, manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacintis: totus desiderabilis, & ipse est amicus meus; Dilectus meus, pulcher, & decorus, & amabilis valde, filius meus qui pascitur inter vbera mea.

Adridens Christus benedicit. Benedicta tu inter mulieres, & benedictum eloquium tuum, immaculata mea, columba mea, vnica mea, soror mea, formosa mea, sponsa mea, Virgo simul & Mater mea, integra, & perfecta charissima. Benedicens benedicam tibi, & magnificabo te in æternum. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ? pulchriora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguētis optimis: tota pulchra & suauis es, & decora valde, ô suauissima in deliciis, oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris, dixi, ascendam in palmam & apprehendam fructum eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum, duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: odor vnguentorum tuorum super omnia aromata, comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo: tu fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Lyba-

Digitized by Google

no; emissiones tuæ Paradisus, tota pulchra es, & macula non est in te, vulnerasti cor meum in vno oculorũ tuorũ, & in vno crine colli tui. Vox tua dulcis, & facies decora nimis, pone me vt signaculum super cor tuum, super brachiũ tuum, super gremium sinumque Virgineum tuum, quia deliciæ meæ esse tecum, ac ex te, & per te esse cum filiis hominum; Recti diligunt te, & beatam te dicunt omnes generationes, quia gaudia plena, integra & perfecta, integræ & perfectæ Matris habes, cum Virginitatis honore, nec primam similem visa es, nec habere sequentem, benedicta tu in Mulieribus, & qui benedixerit tibi, sit à me benedictus in æternum.

SANCTIS ÆQVIPARANDA Martyribus, qui proprium pro Christo fuderunt sanguinem, dignissima Virgo, lactando Saluatorem asseritur. Et quod infiniti tunc valoris, ac meriti operi, cooperabatur, breuiter commonstratur.

CAPVT VII.

NIHIL sanctissimâ Virgine sanctius inuenitur in naturâ post Christum Filium eius; S. Chrysost. Non enim Prophetæ, ait sanctus Chrysostomus, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphin, non Cherubin, non denique aliud quicquam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, maius aut excellentius inueniri potest. Meritorum suorum verticem, inquit sanctus Gregorius, supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deïtatis euexit. Angelos, ait S. Gregorius.

S. Anselmus. ſanctus Anſelmus, vincit puritate, & ſanctos omnes ſuperat pietate. Cum ergo pietas omnium virtutum fundamentum ſit, potiori iure ſanctiſſima Virgo omnibus omnium Sanctorum virtutibus ac meritis; ſuâ pietate prævaluit, quando ſanguinem proprium in lacte nutritionis Chriſti, Chriſto ipſo miniſtrauit, vt ab ipſo pro omnibus electis funderetur in Paſſione; lac enim Nutricis ſanguis eius eſt dealbatus virtute caloris naturalis; vnde ex Chyſlerio libet hęc verba Canticorum ad inſtituti noſtri rationem referre.

Chyslerius in Cantic. c. 7. v. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua botris.* Vbera Diuæ Virginis, ait, aptiſſimè ſicut botros nouimus; quatenus lactis exhibitione, quâ vberibus ſuis Chriſtum nutriuit Infantem, adeò meruit, vt quantum ad huiuſcemodi meritum ſanctis æquiparanda fuerit Martyribus, qui proprium pro eodem Chriſto fuderunt ſanguinē, exhibentes ſe inſtar botrorum, è quibus vinum effunditur, ſanguis vuæ meraciſſimus. (Ita Chiſlerius.)

Haylgrinus apud Carthag. l. 15. hom. 9. de B. M. V. Ex Haylgrino pariter ita habemus, vbera ſanctiſſimæ Virginis botris aſſimilata ſunt; ex quo mirabilis prærogatiua merendi monſtratur, in beatiſſima Virgine ipſa, quæ non minus meruit fundendo lac de vberibus ſuis ad Filij nutrimentum, quàm Martyres (qui per botros figurantur) meruerunt fundendo ſanguinem in martyrio, omnium enim operum merces, ſecundum radicem charitatis penſatur. Hactenus Haylgrinus.

Mens auctoris censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ subdita, & subiecta. Mea quidem ſententia iudicio, & menti, cenſuræ Decreto, & ſententiæ ſanctæ Matris Eccleſiæ ſubiecta, in lacte nutritionis ſanguinem Chriſto adminiſtrabat, piiſſima Virgo Mater, amariſſimæ paſſionis, vt funderetur enim in paſſione, fundebat in lactatione; vt flueret ex vulneribus, fluebat ex vberibus, vt in charitate perfecta funderetur, in charitate non fictâ fundebat; & vt copioſa fieret apud eum noſtra redemptio, copioſa fiebat ab ea iſta lactatio, iam iamque ex tunc pectus eius ſacratiſſimum, omnium Martyrum ſanguinis fiebat Seminarium, cum ab eâ Rex Martyrum acciperet, vnde ſuum in Cruce conſummaret Martyrium, à quo omniū Martyrum omne Martyrium ſumpſit exordium.

Digitized by Google

Et cum opera nostræ redemptionis infiniti sint valoris ac meriti, lactando Christum Redemptorem sanctissima Virgo, vt supra, operi tunc infiniti valoris ac meriti cooperasse clarum est.

Ad hæc libet verba Redemptoris de sanctissimo Præcursore suo in medium proferre; *Nullus maior*, ait, *inter natos Mulierum surrexit Ioanne Baptista, qui autem minor est in Regno Cælorum, maior est illo*, de Angelis sanè hæc vltima sententiæ Redemptoris particula intelligitur, vt sit sensus, minor Angelorum, maior est Ioanne Baptistâ, nam cum Regnum Cœlorum tunc non esset hominibus apertum iuxta Apostolum dicentem ad Hebræos, hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, stante primo tabernaculo, &c. Et Præcursor pro nobis ingressus Iesus Christus Pontifex factus in æternum secundum ordinem Melchisedech, &c. Non potest de hominibus intelligi, & licet in plurimis, vti legere licet apud varios Auctores, minor Angelorum, maior sanctiore hominum, dempto Christo & Maria Virgine Deipara, demonstratur. In zelo tamen salutis animarum, hoc euidentius patet, nam cum ab initio mundi ex quo creatura generata est, homo habeat suæ animæ Angelum custodem, ab eo tempore habet suæ salutis zelatorem. Præcursor pro tempore zelo Heliæ claruit, & maior omni ex Muliere nato apparuit, sed Angelus ab initio sæculi. Sicut autem de his quæ Deus per Angelos operatus est in paradiso terrestri patet, & erga Caïn, erga Loth, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen, &c. In ratione temporis sanctissimus Præcursor Domini illis posterior est.

Secundo, quod videndo clarè in facie Patris qualiter debeant adimplere voluntatem eius in hoc, qualisque sit nobilitatis animarum salus, zelus illorum feruentior & sanè protensior est, omniumque animarum salutem sitiunt, & quantum possunt illam procurare omnibus ministeriis conantur; Omnes enim, ait Apostolus, sunt administratorij spiritus in Ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis; Præcursor verò qui non vidit in hac vita nisi per speculum & in ænigmate, quod illi facie ad faciem in-

tuentur, etiam in hac ratione dicitur illis posterior qui in Iudęa tantum zelum suum exercuit.

Tertio, quod & ipse Angelum custodem habuerit, qui eius perfectionis & salutis quantum potuit exercuit, non ille Angeli; & ideò licet ex vtero Matris sanctificatus Spiritum sanctum Magistrum habuerit principalem, verumtamen per ministeria Angelorum plurima ad salutem animarum spectantia didicit. His & similibus colligitur, magnus Angelorum zelus, quo qui minor est Angelorum, maior est Ioanne Baptistâ, vnde Christus, gaudium magnum est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, &c.

Non solum Angelorum & sanctioris hominum natorum ex mulieribus, sed etiam Christi Iesu & Spiritus sancti Officium est, animarum salutis zelum exercere, de Christo dicitur: venit Filius quęrere & saluum facere quod perierat. Non veni inquit ille, vocare iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam, hac siti pressus in cruce clamauit, *Sitio*; Ego sum Pastor bonus, ait, & animam meã pono pro ouibus meis; Tandem nonaginta nouem oues dimisit in deserto vt perditam quæreret, quam inuentam, imposuit super humeros suos, & reduxit ad caulas gregis cum gaudio vicinorum, euerritque domum vt dragmam perditam quęreret, donec inueniret.

Et sancto Carpo Episcopo, zelo iustitiæ ardenti, ac vindictam de quibusdam peccatoribus postulanti respondit, extenta manu percute me, quia iterùm paratus sum pro peccatoribus pati. *Officium quoque est Patris zelum salutis animarum exercere. Sic Deus de quo habetur dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret, ergo proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

De Spiritu sancto autem, Christus ipse ait; *Docebit vos omnia, &c.* Et iterùm; *Ipse arguet mundum de peccato, &c. Docebit vos omnem veritatem, &c.* Tandem *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, Euangelizare pauperibus misit me.* Docere autem & arguere, ac pauperibus Euangelizare Regnum Dei, nonne est salutem animarum zelare, & zelum salutis

lutis animarum exercere? Est ergo officium Spiritus sancti, qui ad hoc sanctos Apostolos vnxit, & misit illos in vniuersum mundum, est & officium Apostolorum & Prophetarum, &c.

Sed dico & cum pietate, & veritate dico, quod proprium & peculiare Officium Deiparæ sanctissimæ Virginis, quæ est filia Patris, Mater Filij, & Sponsa Spiritus sancti, Domina & Regina Angelorum, sanctior Ioanne Baptistâ, & Magistra Apostolorum, ad hoc nata est tantis gratiis illustrata, Mater & Virgo simul effecta; Mater, inquam, non dimidiata, sed vera, integra & perfecta, id est Mater & Nutrix ac Gubernatrix Dei electa, vt per eam peccatores sanentur & saluentur. Securum accessum, ait Arnulphus Carnotensis, iam habet homo ad Deum vbi Mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem, Christus nudato latere Patri ostendit latus & vulnera, Maria Christo, pectus & vbera, & ibi nulla potest esse repulsa, vbi concurrunt, & orant, omni lingua disertiùs, tanta, tantæ clementiæ monimenta, ac insignia pietatis.

Arnulphus Carnot. Tract. de Laudibus B. M. V.

Et licet per totam vitam suam & maximè in passione Christi exercuerit zelum hunc salutis animarum sanctissima Virgo, eo tamen tempore quo Virgineo Virginalium vberum suorum lacte Redemptorem educaret, hoc zelo flagrabat præcipuè quando subleuato mentis apice in lacte nutritionis, Filij sanguinem administrabat dolorosissimæ passionis, quando, vt funderetur in passione, fundebat in lactatione, vt flueret ex vulneribus, fluebat ex vberibus, vt in charitate perfectâ funderetur, in charitate non fictâ fundebat, & vt fieret copiosa apud eum nostra Redemptio, copiosa fiebat ab ipsâ lactatio & nutritio.

QVANTÆ NOBILITATIS, fortitudinis simul & suauitatis extiterit amor Deiparæ Virginis erga Christum; Exindè, quod illum, vt integra & perfecta Mater, sacris lactarit vberibus, declaratur.

CAPVT OCTAVVM.

Ex lactatione Saluatoris Maior erga Christum amor B. M. V.

FORTIS vt mors dilectio, fortitérque ac suauiter in corde sanctissimæ Virginis Deiparæ Diuina sapientia ordinauit charitatem, & ideò quia non dimidiata, sed vera, integra, & perfecta Mater extitit Filij sui, hoc est, Mater & Nutrix simul, quantæ nobilitatis, fortitudinis simul & suauitatis fuerit amor cordis eius ad Christum; Exindè maximè quod eum sacris lactarit vberibus ex eo colligitur, quod Matris erga Prolem & respectiuè prolis erga Matrem, communi Philosophorum sententia amor ipsa lactatione crescit.

Plutarchus de educ. puer. Mea quidem sententia, ait Plutarcus, Matres ipsæ nutrire infantes suos atque lactare debent; maiore enim cum effectu, maioréque studio, vt pote intimè, & à teneris, vt Græci aiunt vnguiculis, diligentes, &c.

Clem. Alexand. l. 1. Pedag. c. 6. Et Clemens Alexandrinus, aluisse, inquit, inter homines sæpè affert plura amoris incitamenta quam procreasse.

S. Amb. Sanctus quoque Ambrosius, hæc Matris gratia ait, hic honos lactare filios suos, denique illos plus amare solent, quos ipsæ Matres vberibus suis lactauerunt.

Mendosa in lib. Reg. l. 1. c. 1. Alumni etiam sæpenumero (vt dicit Mendosa) similiores nutricibus euadunt, quam filij parentibus; auget autem magnopere amorem similitudo in natura, sed quod maior similitudo ab vbere cum nutricibus quam ab ipso vtero cum Matribus desumatur vel ipsa physica ratio videtur suadere. Nam Parentes interuentu sanguinis,

Digitized by Google

Nutrices interuentu lactis suas naturales qualitates, ac natiuas dispositiones ex quibus oritur similitudo, communicant. Lac vero est sanguis magis coctus ac defæcatus, ergo melius nutrices in alumnos, quam Matres in filios natiuas dispositiones, ac proindè sui similitudinem ex qua maior oritur amor, transfundunt. Hactenus Mendosa.

Ex lactatione maior similitudo B. M. V. ad Christum.

Cum lacte materno, ait Guillelmus, Materni quodammodo boni fontem & naturam Nutrix in alumno infundit, vnde maior similitudo euadit & amor fortior crescit, &c.

Gulielm. Abbas.

Cum ergo beata Virgo Maria, vt inquit Cartagena, Filium suum ardentissimè amaret, plusquam possit vnquam Filium suum Mulier diligere, cumque impensius nil tam desideraret quam amorem Filij sui sibi consiliare, & ad amorem Filiorum sibi conciliandum non parum prodesse agnosceret, vt propria Mater lactet Filium suum; sic enim non diuiditur Amor Filij in Matrem & Nutricem, sed integer perseuerat erga Matrem, ardentissimo amore Christum Redemptorem lactauit (huc vsque Cartagena.)

Carthag. l. 5. hom. 17. de B. M. V.

Ex his facilè colligitur quantæ virtutis, fortitudinis, & nobilitatis simul & suauitatis, extiterit amor cordis Virginei sanctissimæ Virginis, erga Christum Filium eius, ex indè quod illum vt vera, integra & perfecta Mater sacris aluerit, lactarit, ac nutrierit vberibus.

QVANTVM DEBEAT SACRATISSIMÆ Virgini tanquam etiam Nutrici suæ benedictæ, hoc est, veræ, integræ, & perfectæ Matri: Benedictus ipse Deus pro nobis homo factus ostenditur.

CAPVT IX.

Barthol. Scobar. Soc. Iesu serm. 3. de Præsent. B. M. V. & serm. 2. circa fin. & serm. de immacul. Concept.

BEATVS venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, nouit pia Mulier illa (ait Scobar) quę ita exclamauit de turba ad Christum; nouit, inquam, audiens Mariæ Filium, dulcem fauum, à suauissimo nutritionis lacte hæreditasse dulcedinem, quasi diceret, quam beata vbera ex quibus tam dulce lac sumpsisti, vt dulci lacte, turbas reficias doctrinæ. Quidnam dicet Sponsa dum te sic audit prædicantem? Mel & lac sub lingua tua, dicet, & quid dicemus nos? nisi dicamus Mariam Virginem in templo hodie recludi, vt fiat Aluearium ex quo tam lepidum emaneat mel, lac tam dulce ministretur Sponso, quo ille turbas, & mulceat & reficiat, vt in fortitudine ac suauitate, lactis mellisque huius ducat nos vsque ad Dei montem, æterna beatitudine reficiendos. Sed & sanctus Bernardus feruore suo eò vsque peruenit, vt sacratissima vbera ista tangeret ex quibus diffluens lac intrauit in os eius, & ideò ad tantam verborum scriptorumque suauitatem peruenit, vt ex accepto lacte, mel ex labiis eius emanarit, vnde & mellifluus Doctor in Ecclesiâ appellatus sit, huc vsque Cleobar.

A suauitate lactis B. M. V. suauitas doctrinæ Christi.

Ioan. Bapt. Possa Soc. Iesu Cantab. Theolog. Salmaticens.

Alius eiusdem Societatis Doctor, aliam Virginei lactis Virginalium vberum sanctissimæ Virginis Matris gratiam in dilectũ Filiũ pulchrè describit dicens: Propterea tã impensam curam adhibuit Deus Pater, ne Iesu ossa confringeren-

tur in passione, quæ ideò sibi charissima, quia plenius Mariæ lac & sanguinem asseruarent. Idem pro vinculis, aut ligamentis, pro musculis, venis, & arteriis iudicium esto, quæ sigillatim memorare libuit, vt hæc enumeratio oculis obiiciat quot & quanta sint in corpore Iesu, de quibus addubitare non liceat eandem numero materiam obtinere, quam sanguis & lac Deiparæ possidebant, ac perindè in Eucharistia ad consummationem vsque sæculorum hæc dulcia Mariæ pignora asseruari. Hactenus ille.

Ossa Christi in passione integra seruata quod lac B. M. V. asseruabant.

Aliam item ex sanctis Cypriano & Antonio Paduano colligere licet; Puer, ait Cyprianus, sugens vbera & sustinens conuitia (& ita verba hæc) bibi vinum cum lacte meo, sanctus Antonius Paduanus interpretatur, vinum, id est, fel & acetum quod est vinum passionis, cum lacte meo, id est ab vberibus cum lacte mixtum, fel & acetum bibi, & suxi, ex cuius lactis dulcedine mihi dulcia quæ in passione amarâ ipsâ sunt extitere. Ex quo ergo sacratissima vbera sanctissimæ Virginis suxit Christus, felles quasi fauos passionis reputabat, sitiebatque ex tanta dulcedine, tantas passionis dolorosissimæ amaritudines dum exclamaret in Cruce, *Sitio.*

S. Cyprian.

S. Anton. Pad.

Amara passionis Christi, ex dulcedine lactis B. M. V. dulcia reputantur.

Placet quod ex Seraphico Doctore habemus, postquam Christus, ait, ex purissimis castissimisque Virginis visceribus natus est; Mater ipsa simul & Virgo incontinenti se inclinans adorauit quem genuit, & recolligens, dulcitérque amplectens Filium suum posuit in gremio suo, & vbere de Cœlo pleno, extracto, à Spiritu sancto edocta, cœpit Virgineo lacte lauare, siue linire illum per totum, quo facto, pannis illum inuoluit, & reclamauit eum in præsepio, quia non erat illi locus in diuersorio: Hactenus ille.

S. Bonau. c. 7. l. Medit. vitæ Christi.

Libet ergo concludere, quod sicut à dulcedine lactis Virginis quo lingua Christi irrorata extitit, tam dulci pabulo turbas reficiebat, ait enim Doctor Angelicus, quod suauitas doctrinæ Euangelicæ ab vberibus Mariæ incœpit, cum hæc lactauerint Christum Euangelicæ doctrinæ authorem, fellésque & amaritudines passionis ex indè dulces reputabat; sic & in eadem passione, membra illa omnia sacra sacri

S. Thom. in Expos. l. 1. Cantic.

corporis eius Virginei lactis imbre suauissimo linita & irrigata iugum crucis suaue, & cæterorum tormentorum onus, sub eiusdem immensæ charitatis legibus, quapropter nos & propter nostram salutem ex Virgine natus, Virgineo Virginalium vberum lacte lactari voluit leue & dulce reputabant.

Membra Christi lacte Virgineo B.M.V linita dura passionis supplicia, dulcia reputabant.

Denique hanc & aliam afferunt plurimi passim Authores Virginei lactis, seu educationis lacteæ Christi gratiam erga eumdem, quod cum naturali via, vita ipsa infantis post ortum eius aliquo modo ab vberibus pendent, propter quod à natura ipsa data sunt Mulieribus vbera, & vita corporali nobiscum vixerit Deus, ex Virgine pro nobis homo factus, eiusque vberibus lactari, nutriri, mammari, ali, & educari voluerit, quo alimento vitam conseruauit naturalem, sanctissimæ Virgini hanc eandem vitam ipsam via nutritionis, sicut & generationis debet, qui ei vt illam sibi ministraret prius concessit, Author ipse & fons omnis vitæ.

Tandem ex his quæ in Eucharistia habemus carnem videlicet & sanguinem Christi, quæ charissima Mariæ pignora sunt, nutriuit enim lacte suo carnem qua pascimur, & lac Virgineum in sanguinem conuertebatur quo potamur: ex iis inquam beneficiis istis quæ à Christo accepimus cum ipse à Matre Virgine prius accepisset quando ei dedit vnde & sibi donaret, sed & totus donaretur nobis, & ex omnibus quæ supra allata sunt facilè coniicitur quantum eidem sacratissimæ Virgini tanquam etiam Nutrici suæ benedictæ, hoc est tanquam veræ, integræ, & perfectissimæ Matri suæ debeat, benedictus ipse Deus pro nobis homo factus, filiusque Virginis & alumnus effectus, cui benedictio sempiterna sit, laus, virtus & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

QVID INSVPER SACRATISSIMÆ Virgini tanquam etiam Dei Nutrici; Hoc est: Tanquam veræ, integræ, & perfectissimæ eius Matri, laudis accedat, ex eo quod Christus, illius sacratissima vbera suxit, demonstratur.

CAPVT X.

FILII ex lacte indolem non modicam nanciscuntur, moribus quoque, vt dictum est supra, & affectibus Nutricis imbuuntur; Ita quòd, si mores in paruulis laudabiles sint, in Nutricibus argumentum laudis suppeditent, sicut è conuerso vitia si imbiberit infans, hæc velut cum lacte à nutrice accepisse censetur, vnde & ipsa vitiis corrupta colligitur. *Mendosa vbi supra.*

Hinc si quis fortè, ait Cornelius Tacitus, scire desiderat cur tantopere antiqui illi Romani floruerunt, nullam aliam causam reperiet, quam liberorum vigilantem educationem, suum enim quisque Filium ex castâ parente natum non emptæ Mulieri nutriendum, sed propriè Matri alendum relinquebat. Postquam autem garrulæ ancillæ filios nutriendos acceperunt, Infans Dominus, impudicitiam ac mollitiem cum lacte suxit, sic ab infirmæ valetudinis Nutrice Titus Vespasianus morbis semper addictus refertur. Ab ebria item Nutrice vino semper se se ingurgitare Tiberius didicit: à Barbara quoque Nutrice quę extremum mammę puero porrigens sanguine tingebat Caligula huc vsque cruore gaudebat, vt ensem cruentum lamberet. *Cornel. Tac. in Dialect.* *Ex lactea educatione mores puerorum instituuntur.*

Cum igitur omnis gratia in Christo & omne bonum etiam

A sanctissimis & purissimis vita & morum B. M. V. sanctitas colligitur.

naturale ingenitaque inclinatio ad illud, suum locum obtinuerit, à moribus sanctissimis, purissimisque vitæ affectibus Saluatoris, de sanctitate ac puritate Virginei lactis, vitæ, & morum sanctissimæ Virginis, tanquam etiam nutricis Dei, hoc est, eius perfectissimæ Matris, sumitur argumentum; ita quod, tota pulchra, pura, sancta, & immaculata habeatur, quæ Mater vera, integra & perfecta, hoc est Mater simul & Nutrix est illius. Qui Agnus sine maculâ, Sanctus Sanctorum & speciosus forma præ filiis hominum dicitur.

Tria hęc inueniri in vberibus secundum naturam dicuntur; conuersio videlicet sanguinis in nutrimentum candens, nutrimenti abundantia, & medicamentum infirmitatis: Ferunt enim quod pabula vberis in ore Infantis immissa, contra omnem valet eiusdem Infantis infirmitatem: medicina quoque Nutrici ministratur sumenda, vt eius virtus & efficacia lactanti puero proficiat: qui autem apud se non habebat, vnde infirmaretur, infirmitates nostras suscepit, verè dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portauit: Visum est autem supra, quomodo felles passionis ex lacte Nutritionis dulces reputaret, ex quo lacte etiam accepit; vndè nostras sanaret infirmitates, iuxta sententiam Alberti, qui ait; Nihil hic austeritate pungens, nihil per libidinem inebrians, sed vnguentum fragrans ex humore nutriens vnctum Christum, & omnes nostras sanans infirmitates.

Albertus Abbas.

Edent pauperes & saturabuntur (ait Psaltes) *& laudabunt Dominum, &c.* Si ergo ab alimenti beneficio laudis argumentum sumunt pauperes, quo Deum die noctúque vt benefactorem & nutritorem suum laudant; quantò magis nos ipsi ipsam laudabimus Dominam nostram Matrem & Nutricem Domini nostri, quæ illum nutriuit ac pauit lacte suo, quæ propterea à Deo ipso laudatur, cum dicitur, quam pulchræ sunt mammæ tuæ, &c. Tota pulchra es amica mea, &c.

OMNIVM

OMNIVM FIDELIVM SIMVL Mater, ex eo quod Deum ac Dominum, quem genuit, ſola, vbere de Cœlo pleno, nutrierit Virgo Deipara oſtenditur.

CAPVT XI. & Vltimum.

IN ſpiritu humilitatis & nihilitatis meæ ad pedes Dominæ meæ, integræ & perfectæ Matris Domini proſtratus, rogo, & peto fieri ſicut vnus ex Mercenariis ſuis, non enim ſum dignus vocari Filius ſuus, quoniã ego ipſe peccaui in Cœlum, & coram Filio ſuo benedicto; Mercenarij autem in domo tantæ Virginis abundant panibus, ſed Filij deliciis, & vtinam ſanctificetur vir infidelis per Mulierem fidelem, & omnium fidelium Matrem, quatenus qui vt Mercenarius accedere præſumit, vt Filius habeatur, recipiatur, & charis amplexibus introducetur: Filius inquam ille qui mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt, inueniat gratiam ante conſpectum diuinæ Maieſtatis, vt liceat illi tanquam catulo eſurienti ſaturari de micis quæ cadunt de menſa immenſæ pietatis eius erga peccatores, & fideles omnes quos velut filios diligit, protegit, & amplectitur ſaluandos.

Si Chriſtus, ait Seraphicus Doctor, eſt credentium frater qui iuxta Apoſtolum eſt primogenitus in multis fratribus; cur non ipſa quæ genuit Chriſtum credentium erit Mater? Eia chariſſimi omnes nunc gaudeamus, nunc gaudendo omnes dicamus, benedictus frater per quem Maria eſt noſtra Mater, & benedicta Mater per quam Chriſtus eſt frater noſter: ita Diuus Bonauentura.

S. Bonau. in Spec. B. M. V. c. 5. ibi refertur ſanctus Ambroſ.

Venter tuus (ait Sponſus) *ficus aceruus tritici, vallatus liliis.* Miror quomodo venter beatæ Virginis dicatur ſicut acer-

Venter B. M. V. aptiſſimè aceruo tritici comparatus.

uus tritici, quæ vnicum frumenti granum protulit, hoc est, vnicum Christum peperit, qui de seipso dicebat; *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert*; Et de quo sanctus Augustinus, Dominus Iesus, ait, erat granum mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide Populorum; cum ergo inter aceruum tritici, & granum tritici multa sit differentia, quomodo venter Virginis assimilatur aceruo tritici, qui vnicum videtur & concepisse & peperisse granum? sed si vim verborum istorum perpendimus (si autem mortuum fuerit multum fructum affert) facilius huic difficultati respondebimus: Christus enim in primo Incarnationis suæ instanti adhuc in vtero Virginis situs, mortem suam vidit, & ardentissimo amore, tum erga Patrem, tum erga nos, illam acceptauit, & ita ex tunc multum fructum attulit; Omnes enim nos in vtero suo Diua Virgo concepit, & portauit in illo, quando ipse tunc nos in ea ad salutem genuit: Omnes ergo nos cum ipso peperit, lactauit, & educauit, vndè perpulchrè hanc in ipso nostram & generationem & educationem Virgine Matre describit, his verbis Gulielmus Abbas.

S. Aug. Tract. 5. in Ioan. sub med.

Christus in sanctissima Virgine nos omnes genuit.

Gulielm. apud Delrio in Cantic. c. 7. sect. 3.

Mariæ viscera Saluatorem ediderunt, Mariæ vbera Saluatorem nutrierunt, & sicut magnus ille Puer natus est nobis, id est, ad salutem nostram, ad vitam nostram; Ita etiam nutritus est nobis, ad vitam nostram scilicet, & ad salutem nostram, pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipso pariebat nos ad salutem, sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam. Piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat, nec sibi ille nascebatur, nec pascebatur, sed nobis, atque nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur, sic est Mater nostra piissima Virgo.

Item *duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli Capreæ, &c.* Duo, inquit piæ Matris nostræ vbera, sicut duo hinnuli Gemelli Capræ. *Estote* (ait Apostolus) *sicut ego*; quia ego, sicut vos: hoc est, congruite mihi sicut ego congruo vobis, per charitatis condescensionem, sic nimirum dicitur piæ Matri, duo

vbera tua ſicut duo hinnuli; hoc eſt, duo vbera tua duobus congruunt hinnulis, vtriuſque ſexus fidelibus, planè congruunt eis, id eſt, infirmitati eorum, lac propinant dulcedinis eo ipſo quo illum nobis pro tempore nutrierunt, de quo infirmæ animæ per Prophetam dicitur, iacta cogitatum tuũ in Domino, & ipſe te enutriet, verè duobus hinnulis, id eſt, ex vtroque ſexu electis, duo pię Matri vbera congruunt, id eſt, eorum imbecillitatem fouent & nutriunt; Congruum enim eſt, vt quod ipſa peperit cum Chriſto, & cum eodem lactet & nutriat. Hactenus Gulielmus.

Clarius alius, his verbis: Quemadmodum duplici titulo terra Mater noſtra dicitur, quod ex ea primus homo in quo omnes eramus, & in quo omnes peccauimus, ſumptus ſit, & quod ex eâ etiam vitam habeamus quoad alimentorum adminiſtrationem; Ita Virgo Maria dupliciter eſt Mater noſtra, ex ea enim natus eſt Chriſtus, in quo omnes vitam habuimus, ſicut enim in Adam omnes, ait Apoſtolus, moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificantur; Mortui ſumus in Adam, quia eramus in illo; viuificati ſumus in Chriſto, quia eramus in ipſo; & ideò omnes nos genuit in Chriſto quæ genuit Chriſtum.

Romel. l. 1. c. 1. de partu Virg.

Deindè, quod Chriſtum pariter nutrierit, omnes nos etiam in illo nutriuit, fuit ſimilis reparatio, quomodo fuit & hominis creatio; Adam enim ibi naſcitur, hic renouatur. Hic per omnia, fœlici ſtatus mutatione, omnes nos renaſcimur in Chriſto, & cum illo, & in illo, de Virgine naſcimur, ab eâ paſcimur, & nutrimur ad ſalutem.

Primus Adam de terra terrenus, ſecundus de Cælo Cæleſtis, qualis terrenus tales terreni, qualis Cœleſtis, tales Cœleſtes; tales, inquam, Mariæ ſunt Filij, Fratres Chriſti, qui eſt ipſe primogenitus, in multis fratribus iſtis, &c.

Rupertus tandem, Abraham, inquit, Pater Gentium & Sara Mater Gentium rectè dicitur; & hoc propter fidem: quantò magis & tu fideliſſima, fidelium Mater es omnium? Cuius ergo dicit Scriptura, Matris meæ, quando ſic legimus: Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera Matris meæ, niſi Virginis Mariæ? Propterea nihil de Patre di-

Rupertus apud Delrio in Cantic. c. 8. ſect. 1. paragr. 4.

Digitized by Google

xit, quia in fratre isto vt conciperetur, nasceretur, & lactaretur, filiusque fieret naturę & carnis nostræ, vir nihil patrauit, totum quod frater noster est, de Matre est, Matris vbera suxit, sed non ex Patris radice fluxit; Mater ista, Mater nostra est, quia caro ista, caro nostra est; & fides ista, fides tua: ô Maria, fides est etiam nostra: huc vsque Rupertus.

Sed tanto clarius, quanto & breuius Psaltes: Homo, inquit, & homo natus est in eâ, homo videlicet Deus, & homo electus ac fidelis quisque.

Venter itaque diuæ Virginis aptissimè comparatur aceruo tritici quod in vno grano, hoc est in Christo, omne contineat, & portet fideles electos, & bene additur, vallatus liliis, quod immaculatæ Virginitatis (cuius symbolum lilia gestant) floribus, id est, cœlestibus gratiis ornatus, vallatus, & stipatus sit; sicut autem terra quę generat lilia, frumenta etiam alit, & nutrit ea, ita diuinissima Virgo quem de Spiritu sancto, Virgo ante partum concepit, Virgoque in partu peperit, & Virgo post partum (vbere de Cœlo pleno) lactauit, quos in ipso fideles concepit, & peperit, Virgineo quoque Virginalium vberum suorum lacte nutriuit, vt nihil ei desit, de his quæ veram decent, non solùm Christi, sed & omnium fidelium integram Matrem.

Beatus ergo venter qui portauit Christum, & nos in ipso omnes portauit, sed & beatissima vbera quæ lactauerunt eũ, & nos omnes in ipso aluerunt: ecce qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt Filij eius ac Virginis sanctissimæ nominemur & simus.

Magna re verâ dignitas Christianorum quam iugiter antè oculos habere debent, vt fratres Christi Domini censeantur, ne in veterem vilitatem, vt ait sanctus Leo Papa, degeneri conuersatione redeant.

Genes. 40. Præpositus Pincernarum Pharaonis per somnium coram se vitem, &c. vidit, quo somnio Ioseph recuperandam amissam Principis gratiam ei prædixit, sed qui tria canistra farinæ supra caput per somnium se portare vidit, Pistorum

Magifter, ab eodem Iofeph ruinam fibi paratam didicit. Coram nobis ergo fit femper dignitas hæc noftra, coram oculis habeamus, hoc Filiorum Virginis Deiparæ nomen iugiter, vt morum pietate, & innocentis vitæ puritate, Matrem noftram venerantes, & eius fummam fanctámque integram & perfectam Maternitatem dignioribus honoribus recolendo, feruentius reueremur.

Digitized by Google

AD SANCTISSIMAM

VIRGINEM

PRO CONCLVSIONE

HVIVS TRACTATVLI.

ORATIO.

AVDIANT Cæli quæ loquor; Loquar enim ad Dominam meam sanctißimam Domini Dei mei Matrem cum sim cinis & puluis: audiat terra verba oris mei, concrescat vt pluuia hæc doctrina Sanctorum erga te Patrũ & Ecclesiæ Doctorum, piißima & sapientißima Virgo, fluat vt ros eloquium sapientiæ ipsorum; è fontibus pietatis illorum, hausit spiritus meus qualibus & quantis deliciarum imbribus, ac spiritualium voluptatum affluentiis, Virgineum cor tuum, Virgineusque animus tuus in lacteâ educatione Saluatoris redundarint. Tui sunt serui, & mihi eos dedisti Patres atque Doctores, fiat in me duplex spiritus eorum sacer, quo te, non dimidiatam, neque partitam, aut diuisam, sed integram & perfectam Dei Matrem, simul & nostram cum Ecclesia agnosceris &

Digitized by Google

prædicaris, omniumque fidelium votis veneraris.

Festiuis ergo gaudiis summam, sanctámque, integram & perfectam maternitatem tuam celebrare, ac dignis honoribus recolere, dignum, & iustum est; æquum & salutare. Ego pauperculus celsitudinem tantæ dignitatis pro viribus reuerendo, Sanctorum vestigiis inhærere contendo, repletus enim sum consolatione, vt sæpius iterum dicam, & superabundo gaudio in Spiritu sancto, quoties vera integraque & perfecta gaudia Matris, te habere, cum Virginitatis honore conspicio; Vnde nec primam similem visa es nec habere sequentem; Ideo benedicta es in Mulieribus, id est, plus benedicta, quam omnes Mulieres: Quandoquidem Christus Deus noster, Sol iustitiæ ex te ortus, soluens omnem maledictionem per Mulierem introductã, benedictionem nobis attulit, ac per te omnibus nobis benedixit: Benedixit domui Israël, id est, Populo Christiano; Benedixit domui Aaron, id est, Religiosis & Sacerdotibus cunctis; benedixit omnibus pusillis & magnis qui timent Dominum; benedixit tandem, & mihi tanquam abortiuo, ac peccatorum vilissimo, hac singulari benedictione cælesti qua te toto mentis affectu integram & perfectam Matrem suam agnoscens, integram perfectámque ac summam Maternitatem tuam omnibus & singulis peculiaribus votis in suauissimo præsertim lacteæ educationis eius mysterio reuerendam propono. Ex quo enim dulci lacte Filium tuum pauisti, dum vbera ipsa tua Virginea, pro peccatoribus, ipsi, sicut ille Patri vulnera ostendis omnium fons benedictionum, donorumque & gratiarum Virgineus sinus tuus affectus est.

Ex quo contra venenum nostrorum delictorum illa suxit, inde cunctorum beneficiorum ad generis nostri salutem ingens gaudium fluxit.

Digitized by Google

Quaſimodo ergo genitus infans tuus, lac iſtud diuiniſſimum concupiſco, ad lacteos fontes tuos recurro; Age ergo, pande ſinum, & benedicta da mihi vbera, Mater, dulcis, clemens, & pia, miſericordiæ viſcera aperi, clementiæ & pietatis oculos ne claudas, & pauperculo tuo, eſurienti, ac ſitienti, ac benedictionem non modicam petenti, & expectanti non neges: Tandem (vt cum Diuo Bernardo concludam:) Benedicta iterum in Mulieribus, Benedic te benedicentibus; benedictis enim tuis vberibus qui dat eſcam eſurientibus, hunc lactaſti, hunc cœleſti rore pauiſti, Virgineo lacte potaſti, mammaſti, aluiſti, nutriuiſti, educaſti.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVLVS TERTIVS.

DE SACRIS VBERIBVS QVIBVS Verbum ipsum propter nos Caro factum, Sanctissima Virgo Deipara lactauit.

AD TRACTATVLI COMMENDATIONEM Præfatiuncula.

SANCTVS sanctificetur adhuc, & iustus iustificetur adhuc, vt Tractatulum congrua pietate legat, Deumque pro nobis ex Virgine natum, ac eius Virgineo Virginalium vberum lacte educatum, digno honore extollat, quod sacratissima Virginis eiusdem sanctissimæ non solùm suxit vbera, sed in tantum dignatus est (vt ita dicam;) illa venerari, vt etiam sicut Tractatulo præcedente dictum est, summis laudibus extulerit.

O

Digitized by Google

Itaque quia ſicut ille Patri latere & vulneribus, ita ipſi, hæc, pectore & vberibus peccatorum cauſam gratam exhibuit, peccator pœnitens accedat, legat, admiretur, & gratias agat. Recedat carnalis, ac ſenſualis Lector, oculum claudat, nec appropinquare præſumat, prophanum enim non decet tam ſacris, tamque diuinis fluminibus inundari, nec tam cœleſti rore perfundi. Ideò cum omni reuerentia, pietatiſque, ac ſingulari deuotionis ardore, & mentis attentione legendus, ſpirituali Virginis Deiparæ ſeruo Tractatulus proponitur.

QVANTÆ VIRTVTIS ET EFFIcaciæ ſint apud Deum in ſalutem peccatorum ſacratiſſima ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ vbera, ex quo Verbum propter nos caro factum lactauerunt, oſtenditur.

CAPVT PRIMVM.

V*ENITE, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ*, quando dedit mihi peccatori ad ſalutem ſanctiſſimam Matrem ſuam Mediatricem & Aduocatam.

Arnulphus Carnot. Tract. de Laud. Virg.

Securum iam acceſſum, ait Arnulphus, habet homo ad Deum vbi Mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem: Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus & vulnera, Maria Chriſto pectus & vbera, & ibi nulla poteſt eſſe repulſa, vbi concurrunt, & orant omni lingua diſertius, tanta, tantæ clementiæ monimenta, & inſignia pietatis, &c.

Sicut Patri Chriſto latus & vulnera ita Chriſto Maria pectus & vbera pro peccatorib. oſtendit.

Gulielmus apud Delrio

Gulielmus autem exponens illud Canticorum, *Ego murus, & vbera mea ſicut turris, &c.* Ego murus, inquit, ſimul

& Mater, murus ad protegendum, Mater ad nutriendum. Murus infirmis; Mater paruulis. Propter insufficentiã virium times campum? Murus sum, intra me abscondere à facie inimici, de paruitate tua confunderis, & crescere vis, Mater sum, lacte meo nutrire. Murus per fortitudinem, & Mater per pietatem. Ego murus inexpugnabilis excelsa habens propugnacula; Ego Mater amabilis grandia habens vbera, quam grandia? Sicut turris: vbera mea non tantum sunt vbera, sed etiam turris, non tantum nutriendi, sed & protegendi vim habent: Nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam: Materna pietas mea, quos nutrit etiam munit, quos nutrit vt discant & grandescant, munit à facie inimici, donec iam grandes effecti, contra eum fiducialiter exeant. Hæc Gulielmus. Addit Rutilius.

in Cant. c. 10. sect. 7. Sanctissima Virgo vt murus, & eius vbera, vt turris vim nutriendi simul & protegendi se habere ostenditur.

Maria, ait, Mater fidelium, vbera habet plena lacte misericordiæ ac beneficiorum erga omnem statum Ecclesiæ, illaque iugiter distillantia, in commodum, nutrimentum, & incrementum spirituale fidelium; ostendit in Cœlis hæc vbera Filio, sicut Filius vulnera Patri, interceditque illa pro peccatoribus, vt diuina fauente clementia, compunctionem cordis, & veniam peccatorum consequantur, & sicut Pater Filio, sic & Filius Matri nihil quod postulet negare potest. Ita Rutilius.

Rutilius Romanus Episcopus Lauret. in Cant. Magnific. c. 2. v. 18. ad dub. 4.

Accedit Chiflerius super illud Canticorum; *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Cum per vini, ait, vocabulum iustitia & indignatio Dei super peccatores in sacris Scripturis sæpè intelligantur, patet quod tantum virium sit in sacris vberibus beatæ Virginis, vt efficacius ad misericordiam eum alliciant, quam vinum diuinæ indignationis alliciat ad iustitiam, & ratio istius tam grandis efficaciæ est, quia Christus, talium vberum ostensione, propositum intelligit, maximum id diuinæ clementię opus, quod ad satisfaciendum diuinæ indignationi ipsemet cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam paruuli, atque lactantis accipiens, factus obediens vsque ad mortem, &c. Insuper exponens illud, lampades eius, lampades ignis atque flammarum.

Chifler. in Cantic. c. 4. x f. 10 Vbera sanctissimæ Virg. efficac. Deũ ad misericord. quam vinum diuinæ indignationis ad iustitiam alliciunt.

Cap. 8. v. 6.

Digitized by Google

Vbera sanctissima Virg. cur lampades ignis dicantur.

Beatæ Virginis vbera, ait, bene lampades ignis dicuntur in quibus exhibeatur ignis dilectioni diuinæ, non tam oleo, quam lacte illo exhibitus, quo eumdem pro peccatoribus paruulum in carne effectum aluere, & lampades flammarum emulationis, quas è purissimo Virginis corde erumpentes ob oculos ponunt dilecti sui, &c.

Cap 8. v. 10.

Tandem illud, ego murus & vbera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, sic exponendo interpretatur. Ex quo placui Altissimo vt de meis visceribus gignerem Deum & hominem, illum pectus ancillæ Domini, eleuatum instar muri vt ipsum me natum robore deferam maximo, en & vbera: En tibi paratas ad quas, peccator, confugias turres, quando inermis paruulus ac vagiens, mundum istum adire tibi libeat. Ne vereamini peccatores: illam me turrim fortitudinis à facie inimici, quin & à facie iræ Dei, ex quo enim facta sum coram eo pacem reperiens, ex quo inueni gratiam apud Deum, ex quo ille sibi in me bene complacuit, vt respiciens humilitatem ancillæ suæ per Verbi Incarnationem efficeret, vt beatam me dicerent omnes generationes: Ego ex eius benignitate murus vobis validissimus sum; pectus quippe meum vt murum ignis illi opponam, quandocumque iram ipsius in vos erumpentem intellexero, eaque illi ostendens quæ in pectore meo ipso cœlesti lacte intumuerunt vbera mea, vt turrim insuperabilem ipsa ei obiiciam, ex his enim acutissima pro vobis in illius cor iacio spicula precum repræsentantium illi quod tanta vberibus ipsis meis eum charitate lactarim.

Carthag. l. 14. hom. 16. de B. V. M.

(Hactenus Chislerius) concludit aliusex nostris super illud) fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua) alloquitur hic Christus in Cœlo beatam Virginem, dum precibus suis munus aduocatæ pro nobis gerit, vnde perinde est ac si diceret, dum precibus tuis) ô Virgo Mater mea charissima, à me veniam peccatoribus & gratiam niteris impetrare, labia tua mihi videntur, fauus distillans, dulcissimum mel gratiæ, quod de meis contraxisti labiis, cum ea de osculabaris, distillare etiam lac quod mihi ministrasti vbere de cœlo pleno: Mel enim, hoc est, suauissimum

lac ſub lingua tua ſeruas prompta ad illud proferendum: Diſtillas vero illud in memoriam mihi reuocans precibus tuis, quas à me ſuſcepiſti gratias, & quæ mihi miniſteria, me lactando & educando exhibuiſti. Quibus omnibus patet, quantæ virtutis & efficaciæ ſint apud Deum in ſalutem peccatorum, ſacratiſſima ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ vbera, quod & clarius ſequenti Capite demonſtrabitur.

OMNIBVS OMNIVM SANctorum Orationibus quantumcumque Deo gratiſſimis, gratiora & efficaciora ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ vbera, apud Deum in ſalutem peccatorum proponuntur.

CAPVT II.

SPES mea in ſinu tuo, in pectore tuo, in lacte tuo, in vberibus tuis, ab vberibus Matris meæ (Virgo benedicta) fiat in me duplex ſpiritus ſanctorum Patrum, ſeruorum tuorum, aliorumque piorum Doctorum qui hæc beatiſſima vbera tua laudibus extulerunt & ſcriptis venerati ſunt; vt & poſteris deuotionem iſtam, qua veriſſima, totaque, integra, & perfecta Mater Dei honoraris, relinquam.

Benedictionibus vberum, ait ſanctus Bernardus, benedixit Iacob Ioſeph accreſcentem & decorum aſpectu, ſic piiſſima miſericordiæ Mater Virgo Maria vberum ſuorum benedictione, omnes fideles præſertim in virtute & ſanctitate creſcentes, benedicit, neque vbera ſua exhauſta fient, cum de fonte materni pectoris ſumant, vt iugiter propinent, ſugentibus, ac proinde meliora carnis ſæculive amore aſſeruntur, quæ nullo vnquam lactantium numero areſiunt,

S. Bernard. Serm. in Cantic. circa fin. Benedictio vberum ſanctiſſ. Virg. ſuper omnes fideles.

Digitized by Google

ſed ſemper abundant de viſceribus charitatis : flumina ſiquidem fluunt de ventre eius, fitque in ea fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita, D. Bernardus. Sanctorum reuera omnium merita velut flumina dicuntur, ſed in Virgine ipſa ſacra fit fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ob præſtantiorem efficaciam meritorum, quæ vt Mater & Nutrix Filio exhibet, cum illi pro nobis vbera ſua oſtendit. Accedis, ait ſanctus Petrus Damianus, ad aureum diuinæ ſeueritatis tribunal, piiſſima Mater, non rogans, ſed imperans, Domina, non ancilla omnes Sancti & Sanctæ quantumcumque Deo grati ſint, famuli & ancillæ habentur : Virgo autem benedicta, vt Mater perfecta Dei, id eſt, vt Mater ſimul & nutrix, domina vocatur. Alij ergo velut ſerui, meritorum ſuorum exhibitione, rogare dicuntur; ipſa verò vt Mater & Domina, ſacrorum vberum ſuorum oſtenſione, imperare dicitur; vbera enim eius, merita ipſius exhibent, quibus & Angelos, vt ait ſanctus Anſelmus, vincit puritate, & ſanctos omnes ſuperat pietate. Hinc Martinus Delrio, ſuper illud; *Cerua charißima, & gratißimus hinnulus*; Quamdiu, inquit, Dominus gloriæ qui velut gratiſſimus hinnulus inter homines per ſimilitudinem carnis peccati apparebat inglorius, vbera illius ceruæ chariſſimæ, id eſt, Diuæ Virginis, neminem inebriabant, nam quamdiu ille putabatur Filius Ioſeph, etiam illa puri hominis Mater putabatur, vnde nec reputabantur vbera eius : at vbi per clarificationem Filij, declaratum eſt, quod eſſet Mater Maieſtatis, & ob hoc, etiam Mater miſericordiæ, & pietatis, cœperunt homines propriæ infirmitatis vel iniquitatis conſcij, certatim ad eius vbera properare, eius ſe meritis commendare, ac præcipua eius ſolatia poſtulare. (Hactenus Delrio.) Clarius tandem Chiſlerius concludendo in expoſitione verborum iſtorum; *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata, &c.* Perpulchra vbera beatæ Virginis, ait, quatenus vnguenta Mariæ ſunt, oſtendit ſponſus talem eſſe eius orationem vt in fragrantia & in efficacia, omnibus aliis aromatibus. Hoc eſt, omnibus omnium Sanctorum Orationibus quantumcumq; fragrantiſſimis, ſint præſtantiora. Ipſam etiam indicat rationem quare ſint omnibus aromatibus iſtis efficaciora, &

Sanctus Petrus Dam.

Sanctus Anſelm.

Martinus Delrio in Cant. cap. 7. ſect. 6. §. 4.

Chiſler. in Cantic. cap. 4. verſ. 10.

Fragrantiora vbera ſanctiſſimæ Virginis omnium ſanctorum orationibus.

vnde tantum habeant efficaciæ: nimirũ, quia odorem ipsum referant, quem instar fasciculi myrrhæ, & botri cypri, in medio ipsorum beata Virgo gestarat in carne paruulum atque lactantem tunc temporis quando apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, &c.

Porrò pulchriora, ait Sponsus, sunt vbera tua vino, & præcisè pulchriora dixit, ad amplificationem efficaciæ vberum, tantæ Virginis, in vi alliciendi, quæ vis est propria pulchritudinis; verbis hisce tandem, nedum eadem vbera prȩstantissimo pulchritudinis encomio euehit Christus eius Filius simul & sponsus, at insuper, quod in precibus ei ostendit, vnde ipse lac suxit, ne dum allici, sed & quasi prædulci quadam violentia flecti asserit. Vnguentorum autẽ nomine perpulchra vbera ista decorantur, quo significetur suam ipsam quam pro nobis fundit orationem, talem reddere per talium vberum ostensionem, vt instar thymiamatis sacri illius, quod ex pluribus vnguentis confectum, in odorem suauitatis Deo offerebatur in sancto, omnem iniquorum illorum pro quibus offeruntur fœtorem ab ipsis Dei auertant naribus, suaque iucundissima fragrantia eum deliniant. Huc vsque Chyslerius.

Idem ibid.

Efficacia vberum sanctissimæ Virg. ad diuinam iram placandam.

IDEM HOC ASSERITVR, ac euidentius declaratur.

CAPVT III.

Merita sanctiss. Virg. ... orum Sanctorum excedunt.

MVLTÆ Filiæ, id eſt, multæ animæ ſanctæ, ſibi comparauerunt diuitias, ſibi merita plurima piis operibus ac ſanctis virtutibus acquiſierunt. Tu vero, omnium ſanctiſſima, ſupergreſſa es vniuerſas, illęque currunt poſt te, in odorem vnguentorum tuorum. Vnde Romelianus, vnguenta

Romelianus ſermo. de Natiuit. Domini.

tua vbera tua ſunt (Maria) meritorum tuorum odorem referentia, omnes poſt te, tu prior omnibus, ex quo Deum nobis protuliſti & hominem, quem lactaſti in odorem currimus omnes vnguentorum tuorum. O vbera beata, ô merita pręclara, ô vnguenta pretioſa, &c.

Geneſ 43. Quinque partib. omnium Sanctorum partes portio ſanctiſſ Virg excedit.

In Conuiuio quod fecit Ioſeph fratribus ſuis, in Ægypto, maior pars ſeu portio venit Beniamin, qui minimus inter fratres erat; Itavt quinque partibus excederet, ſic ex quo ancillam ſe Domini dixit Virgo, cum eſſet paruula in oculis ſuis, placuit Altiſſimo, & de ſuis viſceribus genuit, quem & ſacris vberibus aluit, Deum & hominem: ſacriſque his quinque partibus omnium Sanctorum partes, hoc eſt merita excedit; Videlicet, quod Virgo, quod Mater, quod Nutrix, & Gubernatrix Dei, ac peccatorum Mediatrix, ſeu Aduocata piiſſima ſit. Et hæc quinque priuilegia ſua vberum ſacrorum ſuorum oſtenſione & exhibitione dum Filio ſuo pro nobis illa oſtendit rememorantur, & referuntur,

Geneſ 44. Cyphus Chriſti in ore ſacri ſanctiſſ Virg inuentus.

quibus reuera omnium Sanctorũ orationes, & merita quantumcumque Deo grata, excellit & excedit; In ſacco denique immaculatæ carnis ſuæ, in ore, dico, pectoris ſui ſacri, in ſinu ſuo Virginali inuentus eſt Cyphus *Domini noſtri Ieſu Chriſti*, in quo & ex quo bibit ipſe, potumq; Deorum hauſit & ſuxit,

& ſuxit, in quo, inquam, inter homines conuerſatus augurari ſolebat, cum ſuauitas Euangelicæ doctrinæ, qua turbas reficiebat, inde prouenit vt ſuprà declaratum eſt. Hoc eſt, ex ſuauitate lactis quo lactatus, nutritus & educatus ſit. Et hoc eſt magnum Altiſſimæ Sapientiæ Dei Sacramentum, quo in Virginem ſacram, amorem ſuum & charitatem oſtendit Chriſtus, ſicut ex aſtutia ipſa Ioſeph erga Beniamin fratrem ſuum ſuprà omnes alios fratres ſuos amorem ſingulariſſimum declarauit.

Prudentiſſima Abigaïl, pulchra & decora nimis, inter alia quæ obtulit Dauid irato contra Nabal nimis, feſtinans duos vtres vini attulit dicens; *Suſcipe benedictionem hanc paruulam quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, &c. Cui Dauid, benedictus Dominus Deus Iſraël qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, &c.* Omnia hæc in figura facta ſunt, duo vbera ſua Filio ſuo piiſſima Virgo iugiter pro nobis oſtendit & offert, cuius pectus ſacratiſſimũ, fons omnis benedictionis ex quo Deum aluit factum eſt. Pro maledictione, abſcondit ſerpens pectus ſuum, & ſupra illud graditur. Inter omnia animantia maledictus; iuxta illud, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ; Super pectus tuum gradieris, &c. Sed è contra, pro benedictione ſalutari, oſtendit Virgo in æternum ſuper omnes mulieres benedicta pectus ſuum ſacratiſſimum, ſinumque ſuum Virgineum aperiens Chriſto, vbera precioſiſſima ſua exhibet, & oſtendit, quibus non tam impetrando, quam imperando, vt Domina non ancilla, ſalutem nobis conciliat ſempiternam, vndè olim cecinit Eccleſia.

1. Reg. c. 25.

Duo vbera ſanctiſſ. Virg. in figuris Deum placare oſtenduntur.

Geneſ. 43. Serpens pro maledictione pectus ſuum abſcondit. Sanctiſſ. Virgo pro ſumma benedictione pectus oſtendit.

Lacte fluunt vbera cum pudoris lilio:
Membra fouet tenera, Virgo lacte proprio,
Quondam flentis lachrymas ſedatas vberibus,
Nunc iratum mitigat pro noſtris exceſſibus.

Antiq Miſſal. in feſto Natiuit. Domini in proſa Miſſæ.

Sicut ergo exaltata est sancta Dei genitrix super omnes Choros Angelorum Sanctorumque omnium ad dexteram Filij collocata in Cœlestibus regnis: Ita super illos omnes grata sunt Christo quæ exhibet illi pro nobis in salutem, vbera, per vbera enim merita, & per merita vbera ostendit, quibus cedunt omnium Sanctorum quantumcumque Deo grata merita.

QVANTVM BEATITVDINIS in patria vini propinent inexplicabilis voluptatis & contemplatiuis in via ac vita hac, abundantissima conferant consolationis sacratissima sanctissimæ Virginis Deiparæ vbera, demonstratur.

CAPVT IV.

FLVMINIS impetus lætificat Ciuitatem Dei, & triumphantem in Patria, & militantem in via. Hauriunt omnes in gaudio de lacteis fontibus Saluatoris, de vberibus sacratissimæ Virginis, inebriantur ciues in patria ab vbertate: Hac domus Dei Virgineæ, & lacteo torrente lacteæ voluptatis potati, atque inebriati, exclamant, Bonum est nos hic esse. Viatores vero contemplatiui, quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac istud Virgineum concupiscunt, & dicunt vtriusque Ciuitatis habitatores, quam pulchræ sunt mammæ tuæ, Virgo beata pulchriora sunt vbera tua vino: vbera eius inebriant nos in omni tempore, & in amore eius delectabimur iugiter. Quæ verba, ita Gulielmus explicat.

Gulielm. in Cant. c. 6. Bis, inquit, dicitur, eius, vbera eius inebrient te in omni tempore, & in amore eius delectare iugiter, vnum refert

ad ceruam chariſſimam, alterum ad gratiſſimum hinnulum, de quibus habetur cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, &c. Ita vt ſit ſenſus: Vbera eius ceruæ chariſſimæ, id eſt, Diuæ Virginis, inebrient te omni tempore, & in amore eius, gratiſſimi hinnuli, ſuple, id eſt Chriſti lactentis, delectare iugiter: qui ergo in amore Chriſti quærit delectari, cur & vberibus Virginis Matris inebriari. Sicut ergo delectantur beati in patria, ſuo quoque modo in huius vitæ ſtatu & deuoti contemplatiui, &c.

Inebriati ab vberibus ſanctiſſ. Virginis in amore Chriſti iugiter delectantur beati.

Chiſlerius euidentius ſuper illud; *Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & vbera tua Botris*; Mariam, inquit, in cœlis regnantem palmæ aſſimilatam contemplemur, & bene huic benedictæ Virgini id quoque adiiciendum fuit, & vbera tua botris. Quandoquidem exindè potiſſimum, & beati qui hanc ſpectant palmam in cœlis & contemplatiui in hac vita qui ſtudio contemplationis eandem meditantur, cœleſtibus reficiuntur conſolationibus, quod eius contemplantur maternitatem, quæ vberibus ipſis de Cœlo plenis, lactauit Filium Dei; Ita vt ex his ipſius vberibus ex quibus Dei Filio lac fuit expreſſum, iam exprimatur vinum dulcedinis perfectiſſimæ, quo & beati reficiuntur in cœlis, & quotquot in illius deuotione feruidi inueniuntur in terris: Ita Chiſlerius.

Chyſler. in Cantic.

Et beati in patria & contemplatiui in hac vita ab vberibus ſanctiſſ. Virg. cœleſtibus reficiuntur conſolationibus.

Vidit mulier lignum in Paradiſo voluptatis; *Quod bonum eſſet ad veſcendum, aſpectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, &c.* Et ecce initium dolorum: ſtatura autem tua, Virgo piiſſima, aſſimilata eſt palmæ, tu Arbor vitæ & lignum felicitatis noſtræ, ad te ergo oculi omniũ & beatorum in cœlis & contemplatiuorum in terris, vt de fructu tuo omnes accipiant & comedant, de quo ſcribitur, & benedictus fructus ventris tui, & cui mulier Euangelica, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Hoc ergo initium eſt gaudiorum omnium, tum beatorum in Cœlis, tum viatorum, in terris, deuotorum tuorum, ad ſacra vbera tua aſpicere, de fructu tuo edere, de lacteis fontibus tuis inebriari, & in amore Chriſti delectari.

Geneſ. 3.

Inter prima mulieris & ſanctiſſ. Virg. ſortes differentia.

Tandem Chiſlerius iterum concludendo; ſic ait; tantæ

Chiſl. in ſuis Cant. ch. 7. v. 10.

Virginis celſitudine & excellentia, atque dulcedine allectus, iam mea decreui in mente & firmiter ſtatui, vt ſedula ſublimique vt melius potuiſſem conſideratione in hanc aſcenderem palmam, memetipſum eleuans ad eam contemplandã, vt eſt palma beatorũ in cœlis, & palma mihi pariter in excelſo Cœlorũ exaltata, ſpem habens reipſa quoque ad illam aſcendendi: Deus dederit, vt è ſeculo iſto victor diſcedam. Apprehendere etiã ſatagam fructus iſtius palmæ benedictæ, arcta meditatione eius complectens vbera, quæ in cacumine huius palmæ maximè conſpicua ſpectanda proponuntur, & fructus innumeri atque prædulces, qui exinde toti mundo prouenerũt quod vberibus iis de cœlo plenis lactatus eſt Filius Dei Reparator generis humani. Et erũt tunc, iuxta Hebr. & Septuag. Vbera tua (Virgo ſanctiſſ.) ſicut Botri vineæ; neque enim beatis dumtaxat, vinum propinent inexplicabilis voluptatis, ſed & mihi etiam nunc quando meditatione illa complector, erunt inſtar botrorum vineę illius cœleſtis; ita vt ex illis tantum haurire mihi liceat vim lachrymarum deuotionis, & vini eius ſpiritus, quo inebriandi dicebantur Apoſtoli, necnon & vini cœleſtis voluptatis, vt ſperem me quoque præ ſpiritus feruore inebriandum. Huc vſque Chiſlerius.

Romelianus ſerm. 2. de Nat. Dom. Angeli aſpicientes Virginem Christum lactantem mira afficiebantur lætitia.

Romelianus quoque, paruo, inquit, lacte paſtus eſt per quem nec ales eſurit, dum illa quæ Virgo & Mater eſt: vbere ſacro de cœlo pleno, illum paſceret, quanta putas afficiebantur Angeli ſpectantes lætitia & exultatione, intuentes in eum qui ſua in cœlis illos beata paſcit ſubſtantia, & cernentes aliena eum in cœleſti illo lacte paſci ſubſtantia, ſed & ipſaque Virgo dum lactat Filium talem ac tantum, quanta putas dulcedine cor eius redundabat? totum (vt ait Cyprianus) negotium plenum gaudio. Hæc ille, &c.

Sicut ergo iam ex tunc dum Virgo Deum & hominem Filium & alumnum ſuum apud Bethleem lactaret, Angelos reficiebat lætitia, & afficiebatur ipſa exultatione ſpiritali & dulcedine cœleſti replebatur, ita nunc & in cœlis Angelis ipſis ſanctiſque ac beatis omnibus, ſed & contemplatiuis in via ac vita hac, vinum inexplicabilis voluptatis pretioſa

vbera illa quæ Deum infantem aluerunt, ex suaui lacteæ educationis tanti Saluatoris mysterij meditatione propinant. Eia nunc, ô mulier, omnium mulierum sanctissima, & inter ac super omnes illas benedicta; Sitio, da mihi bibere: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat cor meum ad lacteos torrentes tuos, ad fontes viuos sacri pectoris tui, ad sacra ac pretiosa vbera tua; ego peccator cum sim, bibere à te posco, quæ est Mulier cœlestis & sancta, desiderio desiderauit anima mea; O si quis daret mihi potum, de cysterna quæ est in Bethleem iuxta portam! quis introducet me in terram illam benedictam quæ fluit riuis lactis & mellis? Factus sum cui lacte, pro omni solido cibo opus est; Quis dabit mihi, mammilla Regis mei, Dei ac Domini Saluatoris mei lactari? Sitiens valdè clamo, Ad te Domina mea, Mater Domini mei, en siti morior. Et factus sum sicut illi, qui deficiebant cum exhalarent animas in sinu Matrum suarum, reposita est spes vitæ meæ in sinu tuo, aperi mihi botrum lactis vt benedicens benedicat anima mea tibi, antiquam moriar.

QVANTÆ PVLCHRITVDINIS ipsis etiam Angelicis cœtibus, exindè quod Virginea, de Cœlo plena, & Deum lactantia, quantaque dulcedinis cunctis fidelibus, ac soporosissima suauitatis, ipsi pariter Christo, pretiosissima sanctissimæ Virginis Deiparæ vbera extiterint ostenditur.

CAPVT V.

Albertus.

Chislerius in Cantic. c. 4. v. 10.

QVAM *pulchræ sunt mammæ tuæ, suauissima in deliciis pulchriora sunt vbera tua vino*; Et in tantum, inquit Albertus, vt specie, & pulchritudine sua sanctos Angelos oblectabant, cum ab eis maximè penderet speciosus forma præ filiis hominum, & Dominus Angelorum, minoratus paulò minùs ab Angelis propter similitudinem carnis peccati. Si id pulchrum est addit Chislerius: Quod intuentium allicit oculos, & vnà cum intuentibus oculis allicit & corda, adeò sanè pulchra in Christi oculis beatissimę Virginis vbera existunt, vt meritò illa admiretur, quasi miraculum quoddam pulchritudinis dicens; quam pulchræ sunt mammæ tuæ, Soror mea Sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, &c. Quod autem tã placet Christo, quantum putamus, & Angelis & hominibus gratum erit? Indè Rupertus: Neque, ait, fideles hæc auscultantes molestum est illis hæc sæpius audire, & eos toties de mammis ac vberibus Virginis tot voces dilecti gratulantis non fastidiunt, quoniam amici sunt. Immò gaudio gaudent, propter vocem sponsi lætantis iuxta illud: Lætabitur Dominus in operibus suis. Voces istæ, voces lætitiæ nostræ sunt lætitiæ Patris & Filij, & Spiritus san-

Rupertus in fine 3. libri in Cantic.

cti. Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ, quod iam supra dictum est, & nunc iterum quam pulchræ sunt mammæ tuæ? Ac tertio, pulchriora sunt vbera tua vino, & certè pulchrius est nunc de vtero Mulieris absq; viro virum facere, quam in principio de costa viri mulierem fecisse: Illic namque de viro mulier facta est quæ perdat, hic de muliere, sine viro, vir factus est qui perditæ salus. Pulchritudo autem huius operis iucundius spectatur, in mammis siue vberibus tuis, Virgo sancta, quando iam peracta est species tantę pulchritudinis, quando Deus ex te natus, lactatur mammis, mãmis fœmineis, vberib⁹ Virginis, in spectaculum facta es Mundo, & Angelis & Hominibus? Et in te gaudiũ est vniuersæ creaturæ: Hactenus Rupertus. Quantæ autem saporosissimæ suauitatis ipsi pariter Christo Virgineus Virginalium vberum ipsorum liquor extitit, patet ex dictis diuersorum Sanctorum, & aliorum, apud Didacum. De Beza, qui, ait, quando Christus exclamauit in Cruce, sitio, felles sitiebat, & auidè amaritudines istas concupiebat perferre: Labia enim ipsius Mariano lacte rigata & saporata, etiam felles dulces reputabant: Vndè Cyprianus; Puer, inquit, sugens vbera, & sustinens conuitia. Ecce nobis vndè conuitiorum tolerantia manauit ex cœlestis irroratione succi, vbi Mariæ vbera hausit, ea profusum dulcedine mansit palatum, vt felles quasi fauos voraret. Et quidem dicebat. Vinum bibi cum lacte meo. Quare non dixisti.

Didac. de Baza l. 4. c. 5. de verbis Christi in Cruce.

S. Cyprianus orat. de Nat. Dom.

S. Anton. Paduanus Domin. 3. in Quadrag.

Domine IESV, ait sanctus Antonius de Padua, bibi acetum meum cum lacte meo? Virgineis vberibus lactatus fellis amaritudines non sentis, quippe vbi lac Virgineum accepit Dominus, vbi ab vbere de cœlo pleno lactatus fuit, nihil amarum reputat, dulcescunt illi felles, & acetum optimi vini saporem refert. Ita Beza; Ad hæc Bernardinus Bustensis; Beatæ Virginis lac, ait, miram habuit saporositatem, quam traxit à Spiritus sancti depuratione; Numquam enim aliqua Mulier habuit lac tam saporosum sicut ipsa, aliarum namque Mulierum lac, ob tantas impuritates, non potest esse magni saporis, huius vero Virginis lac, ita à Spiritu sancto fuit depuratum, quod factum est exindè omni

Bernardin. de Bustis. serm. 5. de partu Virg. parte in fin. a.

dulcedine dulcius, & omni suauitate suauius. Hæc ille.

S. Vincent. Ferrarius. serm. de Nativ. Chr.

Refert quoque sanctus Vincentius Ferrerius. Quod lacte carens beata Virgo pro lacte Deum precata est, & fuit illi à Deo lac dono datum. Vnde diuinam prorsus habuit saporositatem. Exultemus ergo, ait Rutilius, & lætemur in Deipara Virgine, memores vberum suorum super vinum, charismata enim atque gratię & spiritus gaudia quæ à Domino accepit plenissima vt vbera lacte referta existunt, & dulciora super mel & fauum omnium terrenarum consolationum.

Rutilius Christus Lauret.

AB IPSIS ETIAM VBERIBVS post Virgineum partum Virgineo lacte tumidis, Virginalis fœcunditas, purissimaque & immaculata Virginitas sanctæ Virginis Deiparæ, aptissimè dignoscuntur.

CHAP. VI.

Lucas Abbas Cant 4. Differentia inter vbera & mãmas.

QVAM *pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea Sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.* Mammę, ait Lucas Abbas, ad fœcunditatis benedictionem, vbera vero Virginitatis gloriam respicere opinamur, in genitricibus enim mammæ, in Virginibus autem vbera, appellantur. Ita ille.

Rupert. Abbas Cant. 4. Cur dicantur mammæ sanctiss. Virg pulchræ.

Hinc Rupertus, Non simpliciter dicitur, pulchræ sunt mammę tuæ, sed quasi cum admiratione, quam pulchrę sunt mammæ tuę, id est, quam gratæ sunt oculis Patris quæ Filium suum vnicum aluerunt, quam pulchræ sunt quę lacte singulariter candido tumuerunt. Nempè lac istud singulariter candidum, quia Virgineum, pulchrę quidem sunt mammæ Virginũ, quia Virgineæ, sed dũ Virgineę sunt lactescere nesciunt. Ideò simpliciter pulchrę sunt, at beatissimæ Virginis

Digitized by Google

ginis mammæ, non tantum Virgineæ fuerunt; sed etiam ad singulare miraculum lacte Virgineo tumuerunt: ideò cum admiratione gratulatoria, vult dici, Quam pulchræ sunt mammæ tuæ; Hæc Rupertus: Qui ibidem exponens illud iterum.

Pulchriora sunt vbera tua vino, ait: Vinum potest intelligi illud quod germinat Virgines, ipsa quoque Mariæ Virginitas propter meracissimam puritatem, quid enim Virginali puritate meracius? Hoc vino beatæ Virginis priusquam mater esset plena vbera erant, sed vbi, salua Virginitate, Mater facta est, non plena tantum vino, sed etiam pulchriora vino fuerunt, quia non tantum Virginea, sed etiam lacte Virgineo tumida exstiterunt. Vbera habere Virgines, cum multis illi Virginibus est, & fuit commune, sed singulare illi est, & fuit, & erit, Virginea vbera lacte Virgineo post partum tumentia habere, quia sola Virgo post partum lactauit; quem genuit, &c. Iterùm. *Idem ibid.* *Virginitas sanctiss. Virg. cur vino comparetur.*

Duo vbera (inquit) beatissimæ Virginis sunt, vt dicit Scriptura, sicut duo hinnuli gemelli capreæ qui pascuntur in liliis, numquam enim visum est simile huic in montibus, siue in collibus nostris, sed neque videbitur in sæculis superuenturis, vt vni capreæ fiant tales duo hinnuli gemelli, vt vni fœminæ contingat, quatenus eiusdem vberibus, & Filium lactet, & Virgo sit; Aspicite hoc & admiramini, videte & congratulamini: Hactenus Rupertus. *Rupertus 3. Cantic.*

Alanus vero, ita ait, quę delectabiliora, quæ meliora, quam vbera illa quæ propinauerunt lac Christo? non ex libidinis fœditate, sed ex Virginitatis fœcunditate? talia optabat Christus vbera, à tali vbere lac sugere cupiebat, quod non saperet carnis lubricum, sed Virginitatis antidotum, & ideò fragrantia vnguentis optimis, quia quod faciunt vnguenta odore, hoc & illa Virginitatis integritate. Ita Alanus. *Alanus.*

Albertus tandem; Nihil, inquit, hic austeritate pungens, nihil per libidinem inebrians, sed vnguentum fragrans ex humore nutriens vnctum Christum, & omnes nostras sanans infirmitates, &c. Gaudia ergo Matris, *Albertus.*

diua Virgo habes, cum Virginitatis honore, nec primam similem visa es, nec habere sequentem. De lacteis fontibus Saluatoris lacteas aquas in gaudio nos omnes haurire contendimus, mensuram tu, bonam & confertam, & coagitatam & superfluentem, vini istius & lactis Virginei, quod à te absque argento emere properamus, tua ipsa erga nos materna pietate, nobis propinare festina. Equidem tanti ad hoc, ac tam suauissimi Virginei lactatus Saluatoris, lacteæque educationis eiusdem, ministra mysterij facta es temporalis. Eia ergo, age, pande sinum, da pluribus vbera, Mater: *Nos quoque lactantes paruula turba sumus.*

SACRATISSIMA SANCTISSIMÆ Virginis Deiparæ vbera ex eo quod salua post partum Virginitate Deum lactauerunt, remedia nobis efficacissima contra omnem carnis molestiam conferunt.

CAPVT VII.

CARO, ait Apostolus, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Luctam vero tantam nos infirmi peccatores lutea vasa portantes, & thesaurum castitatis in vasis fictilibus deferentes, sustinere non possumus, nisi inde auxilium habeamus. Vnde infirmitatum nostrarum sanitas exorditur, hoc est, ab vberibus ipsis sacris, quæ in Medico nostro Saluatore, & sanatore nostro quem lactauerunt, salutarem medicinam contra omnem infirmitatem carnis ac spiritus ineffabili pietate parauerunt.

Iudic. c. 5. *Benedicta*, ait Scriptura, *inter mulieres Iael, & benedicatur in tabernaculo suo, aquam petenti lac dedit, & in phiala princi-*

Digitized by Google

pum obtulit butyrum, sinistram manum misit ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos, percussitque Cyzaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus validè perforans, &c. Sizara interpretatur equum videns, vel tineam, vel arundinem videns: Optimè ergo per Sizaram spiritus fornicationis significatur, qui stercore suo oculos carnis quærit excæcare, qui carnem ipsam rodit iugiter tentationibus innumeris, & de quo, habetur: Hi qui coniugium ita suscipiunt vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos. Aquas petit ille, de quibus dicitur: *Aquæ multæ populi multi.* Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt & gentes, & linguæ, sed obuiam habet tanquā vltricem & victricē potentissimam, mulierem illam benedictam, de qua dictum est ei; *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuū.* Mulier ergo illa beata Virgo benedicta est quæ in phiala principum obtulit butyrum, quando quem genuit, vbere de cœlo pleno lactauit Regem nostrum, & principem militiæ nostræ Iesum Saluatorem, de quo scriptum est, *Butyrum & mel comedet, &c.* Et ex quo lactauit eum, lac eius factum est vinum germinans Virgines dignum famulis dilectis suis ad potandum, labiisque & dentibus eorum ad ruminandum; ita vt exhibitione sacrorum vberum istorum quando illa pro peccatoribus filio ostendit, caput serpentis antiqui hostis nostri conterant, & contra omnem Draconis huius tentationem, & carnis nostræ molestiam remedia nobis efficacissima conferant vbera ista beata.

Mysterium lactationis Saluatoris contra omnem carnis molestiam remedium confert.

Apocal. 17.

Genes. 3.

Cantic. 7.

Isai. 11.

Incarnati Verbi beatissima tempora in spiritu videns Isaac Propheta; Delectabitur, ait, infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna Reguli qui ablactatus fuerit manū suā mittet infans iste in vbere: fidelis est, & sanctissimæ Virginis famulus ac seruus, vberum sacrorum eius adiutus virtute, quorum virtutis auxilio, nunc etiam virgunculæ, puellæque paruulæ, paruuli, inquam, & infantes super aspidem & basiliscum ambulantes: Leonem istum infernalem & Draconem conculcant, & spiritus fornicationis & im-

Lactationis Saluatoris & sacrorum vberū sanctiss. Virg virtute adiuti super aspidem & basiliscū spiritum super fornicationis gradiuntur fideles.

munditiæ caput validissimè conterentes, insignem per solitudines, deserta, & claustra, siue monasteria, victoriam de diabolo, & mundo, & carne reportant. Et ecce virtus lactis Virginei, vberumque sacrorum sanctissimæ Virginis, tempus, sic capitis serpentis validè perforauit, quando nobis destructorem mortis, victorem, ac triumphatorem diaboli, & spoliatorem inferni, vt dictum est, lactauit & nutriuit.

Sciebat ille antiquus hostis humani generis Christum nasciturum ex Virgine, & ideò abhorrebat Virginitatem, in tantum vt nulla vnquam mulierum ante Virginem, voto Virginitatem seruauerit. Volebat ille omnes mulieres, carnis corruptione fœdari, & nullam patiebatur castitatis integritatem, virtute votorum seruare. At, Virgo benedicta caput eius contriuit, dum suo exemplo tanta millia Virginũ vino lactis sui germinauit, & ad amorem castitatis traxit, quas omnes Virgines velut hortus sui plantationes, lacteo imbre sacrorum vberum suorum irrigauit, vt exclament cũ gaudio, Trahe nos post te, in odorem curremus vnguentorum tuorum, id est, vberum tuorum: Et ecce fructus Virginei lactatus Saluatoris.

Fructus vberrimus Virginei lactatus Saluatoris & sacrorum vberum sanct.ss Virginis in Virginib.

Quam ergo bene exclamat Albertus, Nihil hic austeritate pungens; nihil per libidinem inebrians, sed vnguentum fragrans, ex humore nutriens vnctum Christum, & omnes sanans nostras infirmitates. Et Alanus: A tali vbere Christus lac sugere cupiebat, quod non saperet carnis lubricum, sed Virginitatis antidotum, &c.

Albertus. Alanus.

Eia nunc omnes qui diligitis Matrem Domini mei, congratulamini ei, gaudete cum ea gaudio vniuersi, vt sugatis & repleamini ab vbere nutritionis Saluatoris, vt mulgeatis, & deliciis spiritualibus affluatis ab omnimoda gloria tantæ Virginis, quia hæc dicit Dominus; *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriã gentium quam sugetis, ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis, videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, &c.*

Isai. 66. *Cap. 9.*

Digitized by Google

Extensio & continuatio Capitis.

CVM contraria contrariis opposita, magis elucescant, libet ex multis sacræ Scripturæ testimoniis, de peccati carnis damnis pauca referre, quatenus quantum sanctissimæ Virgini genus nostrum sit obstrictum, in ratione charitatis suæ, qua videlicet iugiter filio sicut ille vulnera Patri pro peccatoribus vbera offert, clarius ostendatur.

Totus mundus, ait Apostolus Ioannes, *Positus est in maligno*: Idem, vt alij volunt, in malo igne. Quo scilicet Ciuitates Sodomorum, & ferè totius mundi Rectores, Reges, Sapientes, Fortes, Sacerdotes, Duces, Patres, Fratres, Sorores, Iuuenes & Senes concremantur, & accenduntur; Ita vt omnis caro corrumpat viam suam, vti, in Dauid, Salomone, Sansone, Ophni & Phinees, Holopherne, Loth, Amon, Thamar, Sichen, & Suzannæ Iudicibus videre licuit.

Totus mundus igne libidinis exardescit.

Fornax ista Babylonica, in qua omnis confusio conflatur, sextuplum accensa est, quandoquidem septem vitiorum capitalium ardore fumescit, cuius flamma cubitis quadraginta nouem vbique terrarum sparsa est; Immundus autem spiritus alios nequiores se assumens, vt fiant nouissima sæcula peiora prioribus, à minimo vsque ad maximum, & à Sacerdote vsque ad Prophetam omnes contendit hoc fœtidissimo igne ab umere, nec ad quinquaginta cubitorum, qui numerus est indulgentiæ & remissionis peruenit; Nullus enim ad veram pœnitentiam conuertitur, desolatione desolantur ciuitates nostræ, eò quod nemo est qui recogitet corde.

Fornax Babylonica cur. 49 cubitis accensa.

Luxuria per fornac. Babyl figurata. Luxuria per bestiã 7 cap. & 10. cornua habentem figurata.

Meretrix magna Mater fornicationum sedens super bestiam habentem capita septem, & cornua decem, quæ sunt septem capitalia vitia, cum transgressione decem mandatorum Dei, Reges, Duces, Sapientésque, Iuuenes, & Senes suo calice inebriauit, & totus mundus in hoc malo igne positus est.

Quantus autem sit malus ignis iste spurcissimus & fœtidissimus, patet ex his quæ infra dicentur. *Nunc autem*, ait Apostolus, *manent tria hæc, fides, spes, charitas; maior autẽ*

horum est charitas. Quibus omnibus virtutibus maiorem esse charitatem apertè ostendit Apostolus, quod & probatur tum ex Philosophis tum ex Theologis.

Charitas omnium virtutum maior & nobilior.

Qualia enim sunt subiecta, talia sunt prædicata, Arist. 3. de Anima. Subiectum autem charitatis est voluntas, nobilior intellectu subiecto fidei, & memoria subiecto spei.

Luxuria maiori virtutum charitati scilicet opponitur.

Deinde ex Arist. 2. Phys. 2. de Anima 3. Topic. & 1. Ethic. nobilior est finis omnibus quæ sunt ad finem. v. g. nobilior est sanitas omnibus medicamentis; charitas autem est finis omnium virtutum. 1. Tim. 1. & Rom. 13.

Insuper virtutes Theologales cæteris excellunt quod proximius habeant Deum pro obiecto. Theolog. in 3. sent. distinct. 23. & D. Thom. 2. 2. qu. 23. art. 6. Charitas autẽ est omnibus Deo vicinior. Deus enim charitas est, &c.

Tandem forma est quæ dat esse rei, & ideo nobilior, nam Arist. 1. Physic. 7. Phys. 2. de Anima, & 7. Metaph. Forma est quid diuinum & appetibile in natura, &c. Charitas autẽ est forma cæterarum virtutum secundum Theol. 3. Sentent. Ergo per omnia maior & nobilior cunctis aliis iuxta Apostolum: Maior autem horum est charitas; Charitas, ait, vinculũ est perfectionis, id est, colligatas & complexas omnes alias continens in se virtutes velut vinculum ligna, & alia huiusmodi.

Est velut Regina virtutũ quam sequuntur reliquæ omnes vt Reginam & Dominam antiquæ ancillæ, &c.

Cum ergo tres salutis nostræ infestissimos habeamus inimicos, Diabolum, videlicet, mundum & carnem, proculdubio, maior inimicorum, maiusque vitiorum censebitur, quod maiori virtutum opponitur & aduersatur.

Diabolus fidei mundus spei caro charitati aduersantur.

Diabolus autem fidei aduersatur, qui idololatriæ cultum in mundum introduxit, & seipsum Christo in Deserto adorandum proposuit. Mundus spei opponitur, vana diuitiarum dignitatumque ac caducarum rerum spe seducens: contra quem Psaltes clamat dicens; Nolite sperare in princip. in filiis hominum in quibus non est salus, &c. sed caro charitati aduersatur, iuxta Apostolũ scribentem, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudi-

Digitized by Google

citia, luxuria, &c. Fructus autem spiritus est charitas, &c. Ex his colligitur huius vitij acerbitas.

Diabolus filio, mundus, Patri, caro Spiritui sancto aduersantur.

Tres sunt, ait Apost. Ioannes, *qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus*: Tres etiam inimici nostri prædicti tribus his aduersantur, mundus videlicet Patri, Diabolus Filio, & caro Spiritui sancto. De primo scribitur; *Pater iuste mundus te non cognouit, &c. Sic Deus Pater, dilexit mundum, vt Filium vnigenitum suum daret, &c.* Mundus verò hunc vnigenitum cruci affixit in odium tanti Patris. De secundo habetur: In hoc apparuit Filius Dei vt dissoluat opera Diaboli, &c. Opus autem Diaboli est idololatria: Christi vero opus fides, opus Diaboli superbia, Christi humilitas opus Diaboli fuit hęc quatuor ad nostram perditionem obseruare; videlicet. 1. Pelle aliena, id est, serpentina se induit. 2. In arborem ascendit. 3. Fructum arboris comestibilem mulieri porrexit. 4. Esum ligni huius verbo suasit, & sic peccatum introduxit. Christi opus attenditur. 1. Veste se peregrina, hoc est, carne nostra, se induit, & etiam cum tanta, ac tam mirabilia opera sub pelle nostra operaretur, vt ab ipso inimico nostro agnosceretur; vnde & clamabant Dæmones IESV NAZARENE, cur venisti ante tempus torquere nos, scimus te, &c. Sub speciebus sacramentalibus in vltima Cœna, ita se occultauit, vt dicat Propheta, Vere tu es Deus absconditus, &c. 2. In Arborem Crucis ascendit. 3. Fructum eiusdem arboris comestibilem reddens comedendum tradidit; nunc enim Christũ benedictum fructũ Crucis comedimus viuũ ad Altare. 4. Tandem verbo ac pręcepto esum fructus huius suasit dicens; qui non manducauerit carnem Filij hominis, & biberit eius sanguinem non habebit vitam æternam: ergo bene in hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Et sic patet quantum sibi Christus & Diabolus aduersentur. 3. Tandem dicitur, Omnis caro corruperat viam suam, vnde Deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Christus autem, sic ait, Qui peccauerit in Patrem & Filiũ remittetur ei, pœnitendo videlicet, sed qui peccauerit in Spiritum sanctum non remittetur ei in hoc sæculo, neque in

Quatuor Diabolus ad nostram perditionem.

Quatuor Christo ad naturam reparationem obseruauit.

Digitized by Google

futuro, &c. Ergo peccatum hoc grande est & inimicus infestissimus reputatur qui Spiritui sancto aduersatur. De peccato contra personam, & de peccato contra officium Spiritus sancti alibi dicetur.

Conclusio Capitis continuationis, & extensionis eiusdem.

VT autem clarius innotescat carnem Spirituisancto manifestè aduersarij, nostri Doctoris valdè est notanda sententia; Præcedit, ait, sæpiùs in nobis simplex cogitatio, cogitationem sequitur: Delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem æterna damnatio, & hæc est finalis impœnitentia, quæ directissime est peccatum contra Spiritum sanctum.

Quibus gradibus luxuriosus ad infern. descend.

Nec mirum, quia cum inimicus qui in bello numquam fuit victus fiat insolentior, & cum Diabolus in deserto a Christo iuxta illud; Vade Sathana, &c. Et mundus in passione ab eodem. Vnde ipse, Confidite, ego vici mundum, debellati fuerint, caro vero numquam victa, contra quam nullam habuit Christus luctam; Exstiterit, non inquam mirũ est si in tantum insolescat, vt etiam contra Spiritum sanctum se erigat.

Caro inimicus rebellis & insolens quia non est à Christo victus.

Vnde etiam non mirandum si aduersus illam totus mund⁹ exurgat: iuxta quod habemus in adulterio mulierem deprehensam lapidationi subiacere secundum Moysis Legem, nam carnifex vnus igne, gladio, patibulo, &c. potest cuiuscumque criminis reum è medio tollere, sed vult Deus à minimo vtriusque sexus vsque ad maximum iacendo lapides in adulteram tanti criminis esse omnes carnifices, quippe quæ vitio tali vniuersam ciuitatem, & regnum totum offendit.

Cur lapidatione potius quam alio supplicio mulier adultera puniebatur in lege.

Exindè prodigus filius, Peccaui, ait, Patri in cœlum, &c. Hoc est in Deum, Angelos & Sanctos, in Solem, & Lunam, & Stellas, in Cœlos, Astra & Elementa, &c. Quia turpitudine ipsa mea, hoc est, Vitio luxuriæ, puritatem omnium creatu-

Luxuria omnia cœlestia offendit.

creaturarum fœdaui: Ergo ex his coniiciendum, quanti ſit meriti, quantæque excellentiæ, & virtutis, auxilium ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ peccatoribus impenſum, vt è tanto vitio ad pœnitentiam reſurgant.

QVANTA REVERENTIA, quantoque honoris & deuotionis cultu ſacratiſſima ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, quæ in pectore ipſo ſacro, carnea etiam geſtauit, vbera, ex quo Verbum Patris pro nobis caro factum aluerunt, cunctis fidelibus honoranda veniant, declaratur.

CAPVT VIII.

NVNC reuera, caro mea immutata eſt, iuuentus mea renouata eſt vt aquilæ, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum, & præ gaudio & exultatione, præ lætitia animæ meæ, laborem ſtudiorum meorum non ſentio, tempus mihi breue eſt. Dies velociter tranſeunt, & nox ipſa eſt illuminatio mea in deliciis meis, maximè cum de veneratione & reuerentia ſacris & precioſiſſimis vberibus ſanctiſſimæ Virginis exhibenda, tractare propono.

Sanctus Auguſtinus de ferreis vinculis quibus beatus Petrus Apoſtolus vinctus fuit propter Chriſtum loquens: Meritò, ait, per omnes Chriſti Eccleſias auro precioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum, &c. Si medicabilis fuit obumbratio viſitantis, dicitur enim quod ponebant infirmos, vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos, & ſanarentur à langoribus ſuis; quantò magis

Sanctus Auguſtinus ſerm. 29. de Sanctis.

Ab exemplo cultus ferreorum vinculorum & aliorum ſanctorum Apo-

stolorum Petri & Pauli martyrij instrumentorũ honor quoque sacris sanctiss. Virg. vberibus exhibendus facilè colligitur.

medicabilis erit cathena vincientis? Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere in se potuit vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Fœlices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes, martyrem reddiderunt. Vincula fœlicia quæ reum suum vsque ad Christi Crucem, non tam condemnatura, quam consecratura miserunt. Ita Augustinus.

Chrysost. serm. apud Metaphrast.

Et sanctus Ioannes Chrysostomus de Cruce, & clauis sancti Petri, ac de gladio Apostoli Pauli ita loquitur; Gaudeas & tu Petre, cui datum est vt ligno crucis Christi fuereris: beati claui qui sancta illa membra penetrarunt. Gaudeas & tu, Paule, cui caput gladio fuit amputatum, cuius virtutes nullis verbis explicari possunt, quisnam gladius Sanctum guttur tuum peruasit? Dominicum, inquam, instrumentum, quod à cœlo habetur in admiratione, & quod terra reueretur: sit mihi gladius ille pro corona, & claui Petri pro gemmis infixis in diademate. Huc vsque Chrysostomus.

Fortiss argument.

Si ergo beati nexus, & beata adeò vincula iure prædicantur, quæ Apostolum Christi contigerunt, ita vt in Ecclesia de illis tam celebri festo memoria celebretur, si claui & gladius, ita in honore à cœlo & terra habentur, qui Apostolorum Christi membra tetigerunt, quantò magis lac Virgineum quod Christus ipse suxit? Quantò magis sacratissima vbera illa sanctissimæ Virginis Deiparæ, quæ sacro Verbi Dei Incarnati oris osculo osculata, benedicta, sanctificata, & consecrata fuere? certè à cœlo terraque omni venerationis cultu honoranda veniunt: quæ tactu carnis Incarnati Verbi ita consecrata sunt, vt etiam rebus aliis ab illis tactis, Vti in tractaculo de miraculis dicetur, virtutem & sanctitatem contulerunt. O beata, sacra, sanctaque & benedicta, ac pretiosissima vbera quæ lactauerunt Deum, quæ Christus ore proprio suxit; manibus benedixit, tactu consecrauit, & verbo quasi etiam cum admiratione laudauit dicens, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, &c.

Digitized by Google

O quando! quando! quando! celebri ac ſolemniori feſto Eccleſiæ ſanctæ Dei, vera, integra, & perfecta ſanctiſſimæ Virginis Maternitas à ſancta Sede Apoſtolica colenda proponetur? Sacraque ac omni veneratione celebranda vbera quæ lactauerunt Chriſtum Redemptorem à cunctis fidelibus ſanctiori pietatis honore, extollentur? O vtinã in his temporum calamitatibus, ac bellorum tempeſtatibus pro pace inter ſummos principes Chriſtianos à Deo ipſo optimo maximo impetranda & obtinenda: vel pro gratiarum actione, de tali ac tanto miſericordiæ ſuæ beneficio nobis collato, ab eo qui eius locum obtinet in terris, quod deſideratur, Eccleſiæ concedatur, & deſiderium cordis mei adimpleatur? tunc gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Argum. iter fort.

Si etiam terra Paleſtinæ quam Ieſus pedibus calcauit, à nobis ita in veneratione habetur, vt eius particulæ, puluis, & reliquiæ, in noſtris oratoriis cum veneratione collocentur; Quæ etiam Terra ſancta vocatur, virtutémque habeant contra plurimas ac varias corporum noſtrorum infirmitates; quanto maiori deuotione Virginei Virginalium ſanctiſſimæ Virginis vberum lactis reliquias, ſacraque eius vbera, & ſuauiſſimæ iſtud lacteæ educationis Saluatoris myſterium proſequemur, & ardentiori pietatis affectu celebrabimus?

Ab exemplo reliquiarum Terra ſancta iterum honor ſacris vberibus ſanctiſſ. Virg. debitus colligitur.

Veneramur in Eccleſia Sanctorum plurimorum Imagines; Illorum, inquam, etiam qui maximi exſtitere peccatores, deinde pœnitentes proindéq; ſancti, & beati, at, Matris Dei Imagines exerto vbere Chriſtum infantem lactantem repræſentantes, id eſt, ſuauiſſimum Virginei lactatus Saluatoris myſterium referentes, quanta putamus veneratione digna? Quali ergo ac quanto honore veneranda ſint, nouimus: itaque honorentur, quæ Deus ipſe honore proſecutus eſt, & pio cultu fidelium celebrentur, tantę tanta myſteria pietatis.

Ab exemplo imaginum diuerſorum Sanctorum.

QVAM BEATA ET SANCTA, ſanctiſſimæ Virginis ſacratiſſima, quæ etiam in carne ipſa ſua geſtauit vbera, quibus Deum lactauit infantem exſtiterint, proindéque omni piorum fidelium veneratione & deuotione digna, intimè conſtabilitur.

CAPVT IX.

BEATI dicuntur oculi, qui Chriſtum viderunt, & beati illi qui audierunt verbũ Dei ab eo; Beati, inquit, oculi qui vident quæ vos videtis, &c. Beatiſſima ergo vbera quæ lactauerunt eũ prædicabuntur, ex quibus ſuxit id, quo poſtea nos redemit, & beatos & ſanctos nos effecit. Gulielmus ſuper illud: Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ: Erat, inquit, huic capreæ, Virgini, puta, Deiparæ hinnulus vnus, Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus qui corporalibus piæ Matris vberibus paſcebatur vnus: Sicut enim non decebat Matrem Verbi etiam alios parere, ita nec Matrem Verbi aliis ſacra vbera admouere: proinde ſicut materna viſcera ſibi ſanctificarat quibus vnicus portaretur; ſic etiam materna ſibi ſanctificauit vbera quibus vnicus aleretur: Ita Gulielmus.

Gulielmus apud Martin. Delrio in Cant. c. 4. ſect. 1. §. 4.

Item ſuper illud, odor vnguentorũ tuorum ſuper omnia aromata; Nempè vnguenta, ait, quibus fragrabant Virginea vbera iſta; vt vbera, ſic vnguenta hæc duo fuere, vnum diuinæ dignationis quo Filius Dei vbera Matris Virginis vngebat: Alterum vero maternæ deuotionis quo pia Mater, vbera ſua liniebat: his vnguentis quid ſanctius? quid fragranti⁹? Norunt ea optima eſſe qui experti quam ſuauia ſint.

Idem ibid. Cur & quomodo ſanctiſſ. Virg. vbera à cunctis fidelibus beata dicantur.

Filio dicũt; Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Quotquot in Ecclesia sunt; hoc dicunt; Quia tota domus Ecclesiæ impleta est ex odore vnguentorum horum, de quorum effussione, in vbera piæ Matris nemo murmurat, vt Iudas de effusione nardi in caput & pedes Saluatoris, vt quid, dicens, perditis hæc? potius omnes Catholici eo nomine gloriantur, cunctique fideles piæ Matri congratulantur. Hactenus Gulielmus.

Sed & alius de beatitudine vberum istorum sanctissimæ Virginis, ita loquitur. Vndenam vbera tua beata, beatissima Virgo? quid inquirimus vnde? quisnam quæreret vndenam beatus Deus? Est quidem beatus Dei Filius quod à Patre Deo propria eius substantia nutritur: Ego viuo, ait, propter Patrem, quoniam Patris alitur substantia, & Pater est similiter beatus quod substantia sua nutriat Filium suum. Si ergo Pater est beatus, quod sua Filium alat substantia, nonne beata vbera hęc erunt, quæ eundem Filium lacte suo nutrierunt? Immò adeò beata vt ex nunc dum in Templo Virgo præsentatur, eo quòd ad talem nutritionem destinata sint & consecrata, iam beata iure dicantur; Beatus ego venter qui te portauit, ô Dei Fili, & vbera quæ suxisti; Beatus venter tuus, & beata vbera tua, ô Dei Mater: Cum & ventre & vberibus supparsis Deo Patri; gignens ventre quem gignit, alensque vberibus ac propria tua nutriens substantia quem sua ipse quoque Filium alit substantia. Huc vsque Bartholomæus Scobar.

Bartholom Scobar. Societ Iesu. serm. 1. de Præsent. B. M. V.

O millies beata, sacra, & sancta, pulchra nimis, speciosa valdè, Deo grata, iucunda & delectabilia, de Cœlo plena, cœlesti rore redundantia, Deum pascentia, purissima, sacratissima, pretiosissima, suauissima, & omni honoris, pietatis ac deuotionis fidelium cultu, cordiumque nostrorum omnium amoris affectu veneranda, & colenda vbera, quæ Saluatorem ac Redemptorem meum lactastis, refecistis, aluistis, pauistis, nutriuistis, & per quæ ab eodem Domino meo Iesu Christo, veniam & indulgentiam me delictorum consecuturum spero, omni benedictione, laude & hono-

Digitized by Google

re, digna, vos prædico, & cunctis fidelium votis veneranda propono. Tu vero (dignissima Mater simul & Virgo) quæ gaudia, non dimidiata, sed integra, & perfecta, veræ, & integræ Matris habes, cum Virginitatis honore, nec primam similem visa es, nec habere sequentem; Age nunc; age, pande sinum, &c.

Nunc age pande sinum, da pluribus vbera Mater:
Nos quoque lactantes paruula turba sumus.



Digitized by Google

AD SANCTISSIMAM

VIRGINEM

PRO CONCLVSIONE HVIVS TRACTATVLI.

ORATIO.

C*VM securum accessum iam habeat homo peccator ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem ostensione lateris & vulnerum, & ante Filium Matrem, exhibitione pectoris & vberum; Ecce nunc ad te Matrem misericordiæ, Virgo piissima, accedo, ad te recurro sanandus, sub tuam protectionem fugio, & quem iudicem Filium tuum, sustinere nequeo, per te Saluatorem habere suspiro: Propitietur ergo omnibus iniquitatibus meis per sacratissima vbera quæ suxit, sanet omnes iniquitates meas per dulcissimum lac quo pastus est, & redimat de interitu vitam meam, non secundum peccata mea faciat mihi, neque secundum iniquitates meas retribuat mihi, sed proiiciat post tergum suum omnia peccata mea, & sicut Pater Filiorum miseretur, misereatur mei, qui replere dignatus est in bonis deside-*

rium meum, quando laudis tuæ mihi misericorditer mitem concessit affectum.

Pete ergo à Filio, Mater, nam scio ego, quod si non dimidiam partem regni tantum, sed & totum regnum ipsum petieris, dabitur tibi, non enim fas est vt auertat faciem tuam: vnam petiit ille à te, hanc accepit, carnem namque qua indui pro me dignatus est dedisti ei. Postea esuriuit & dedisti ei manducare, sitiuit & dedisti ei bibere. Sonet itaque etiam hæc vox tua in auribus eius, quia eloquium tuum dulce, & facies tua decora nimis, sed & sacratissima vbera tua pulchriora vino, fragrantia vnguentis optimis. Loquere ad Dominum meum pro me, ô Domina mea, quia audit seruus tuus, & sic loquere. Fili mi, memento mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem perduxi: Peto, nate, vt aspicias ad vbera mea sicut Pater ad vulnera tua, & veniam ac gratiam misericordiamque peccatori huic tribuas, qui ex me pro ipso dignatus es nasci, & vberibus ipsis meis de cælo plenis non dedignatus es pasci. Audita autem hac voce tua, Virgo benignissima, exaudiet Dominus deprecationẽ tuam, dabit tibi secundum cor tuũ: & anima mea liquefacta est, vt tu ita, ô dilecta, loquuta es. Benedictus Dominus Deus meus, qui non amouit orationem Matris suæ benedictæ à se, sed & nec misericordiam suam à me: & benedicta tu inter mulieres ac benedictum eloquium tuum, sed & pectus tuum sacratissimum, cuius vberum exhibitione, prohibitus est iudex animæ meæ ne ad sanguinem descenderet. Amen. Amen.

† † †

Digitized by Google

TRACTATVLVS
QVARTVS.
IN QVO

DE VARIIS AC PLVRIMIS Miraculis, quibus, erga ſuauiſſimum lacteæ educationis Saluatoris Myſterium, & ſacratiſſima ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ vbera, ad integræ & perfectiſſimæ eiuſdem Virginis Maternitatis commendationem, fidelium pietas, ac deuotio ſtabilitur, & confirmatur.

AD TRACTATVLI COMMENDATIONEM Præfatiuncula.

MIRABILIS DEVS in Maieſtate, faciens prodigia in Cœlo ſurſum, & Miracula in terra deorſum, ſed mirabilior planè in humilitate virtus eius extitit, cum apparuit benignitas & humanitas eiuſdem ex Virgine Saluatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiens nos ad veneranda Chriſtianæ fidei myſteria, & mira, ac mirabilia, magnaque in eadem, & per eandem Virginem

Digitized by Google

ex quo in integram & perfectam Matrem illam elegit, operari dignatus est.

Memoriam sanè fecit mirabilium suorum in Virgine ipsa sacra misericors & miserator Dominus, ex quo in ea concipi, ex ea nasci, ab ea lactari, & educari pro nobis voluit; Fecit, ait ipsa, mihi magna qui potens est, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Ergo miracula quibus in summam sanctamque & veram, sed & integram, atque perfectam eius Maternitatem fidelium pietas roboratur & confirmatur, iure Tractatulus hic ostendit.

DE ECCLESIA CARNOTENSI, & eius Episcopo sancto Fulberto.

CAPVT PRIMVM.

Sebastianus Rolliardus Melloduneusis Iurisconsultus. c. 6 Parthen.

APVD Gallos, antiquissima pietate veneratur insignis illa, & illustrissima Carnutum Ecclesia, quod multis temporibus ante ipsam Verbi Incarnationem, à sapientissimis Gallorum Sacerdotibus, qui alio nomine Druidæ nuncupabantur, publico Regis prisci edicto, & totius populi Gallici consensu, Virgini pariture diuina reuelatione consecrata sit.

Speluncæ itaque suæ fronti, in qua diuinis vacabant, hunc Titulum apponentes, fidem suam Religiosissimam, erga futuram Dei Matrem, Virginem gloriosam, publica professione, primi inter homines ostendentes, in ratione tantæ pietatis glorioso primogenituræ Titulo coronati, iure inter piissimos eiusdem Virginis Deiparę Cultores, primogeniti appellati sunt.

Exindè pro ſchemate ac ſigillo ſuo ſingulari, Virginem Chriſtum lactantem hæc Eccleſia refert, ſolaque inter omnes totius orbis Eccleſias ſuauiſſimum lacteæ educationis Saluatoris myſterium, & in eo, integram & perfectam beatiſſimæ Virginis Maternitatem in tempore præſenti venerari conſueuit. His verbis, ô glorioſa fœmina, excelſa ſuper ſydera, qui te creauit, prouidè, *Lactas ſacrato vbere*, quod ab aliis in tempore præterito vbique recolitur.

Exindè inſuper talibus ac tantis, à Virgine Deipara ad hanc vſque diem prædicta Eccleſia illuſtrata eſt Miraculis, vt iam non inter Gallos tantùm, ſed in toto orbe Chriſtiano inſignis habeatur. *Baron. to. 2. Ann. Eccleſ. 1028.*

Hoc vnum ſufficiat, quod & in Epiſcopo ſuo ſancto Fulberto accidiſſe refertur igne incurabili lingua Fulberti ardeſcente, conſumabatur. Nocte ergo quadam, dum intolerabili dolore angeretur, ad Deiparam Virginem, Eccleſiæ ſuæ Patronam ſe conuertit, quæ ſtatim ſplendenti ſpecie languenti apparens, os eius aperiri iuſſit, Virginalique extracto vbere, Virginei lactis imbre, ardentem linguam irrorauit, & confeſtim Fulbertus priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt; Nonnullas autem precioſi ac miraculoſi lactis guttas, quæ ex tanto, tantæ Virginis beneficio, ſuper genas ſancti Antiſtitis remanſerunt, mundiſſimo linteo collectas, ſeorſum honorificè collocandas curauit, quæ ibidem vſque in præſentem diem pia fidelium veneratione reuerentur. *Miraculum.*

DE SANCTO BERNARDO, *Ordinis Cistercienſis.*

CAPVT II.

Mœnolog. Ciſtercienſe in die lactationis S. Bernardi 13. Maij.

ANte venerandam Virginis Deiparæ imaginē, ita orare conſueuerat ſanctus Bernardus. Monſtra te eſſe Matrem, &c. Vnde refertur quod die quadam in Eccleſia ſancti Veroli Caſtri Caſtellionis ſuper Sequanam Lingonenſis Diœceſis in Galliis, ſancto huic imago beatæ Mariæ Virginis dulcem Ieſum obtulit miraculosè, dicens; Accipe Bernarde Filium meum totius mundi Redemptorem. Deinde manu dictæ Imaginis ſuſcepta mammillares guttas lactis ab eiuſdem imaginis mamillis profluentes in os eiuſdem ſancti miraculosè diſtillauit. Quo miraculo, ſe integram Chriſti Matrem Diua Virgo oſtendit.

Miraculū.

Clareualli item dum ſupra *Miſſus eſt* ſcriberet, quadam nocte Eccleſiam ingreſſus, ſanctam Dei genitricem, paruulū Ieſum dulciter amplectantem, & copioſo Angelorum numero circumſtipatam, magnoq; ac diuino ſplendore corruſcam contemplatus eſt, & ibi Virginalis vberi Virgineum nectar iterum guſtare meruit, & ex eo tempore dulcius, eloquentius, ſuauiuſque, ac ſolidius laudes Diuæ Virginis proſequutus eſt.

Miraculū.

Tertio tandem dum Spiræ in Germania Apoſtolici legati officio fungeretur, eandem gratiam ab ipſius Diuæ Virginis imagine, venerandaque vſque in præſentem diem in Cathedrali Eccleſia maximo in honore aſſeruatur, recepit. Dum ibi iterum ante venerandam eius imaginem orando diceret, Monſtra te eſſe Matrem, &c. Vt latius infrà.

Miraculū.

DE BEATO ALANO RVPENSI, & sancta Catharina Senensi, Ordinis Prædicatorum.

CAPVT III.

CVM frigescente mundo, refrigesceret sanctissimi Rosarij deuotio, à sancto Dominico Ordinis Prædicatorum Institutore instituta, mirabiliter est à beato Alano Rupensi eiusdem Ordinis restituta. Quadam enim nocte cũ infestissima animæ salutis tentione grauiter angeretur, post decimã noctis horam, Virgo Deipara visibili specie apparuit, & lumen refulsit in habitaculo.

Andreas Coppestein. lib. 2. de Confraternit. Rosarij.

Miraculũ.

Illo itaque suauissimè salutato, Virginali vbere è sinu extracto, Virgineo lacte Alanum potauit, adiutricem deinceps se fore promisit, annulo illum decorauit, Rosario eius collum cinxit, editurumque miracula prædixit, ac de Rosarij virtute prædicanda mandatum dedit.

Bonifac. in Virginali l. 2. c. 25. exempl. 8.

Exindè suauissimo ac planè mellifluo eloquio, & eloquentiæ dono prȩditus sanctæ Virginis Deiparæ laudes, ac virtutes mirabili animarum conuersione prædicauit.

De sancta item Catharina Senensi, refertur quod sit pariter sanctissimæ Virginis Deiparæ, Virginalis vberi Virgineo lacte potata, vt habetur in Chronicis ordinis, & depingitur in Tabella Romæ sculpta, cum Priuilegio summi Pontificis sub hac italica inscriptione:

Posthumus Alani. l. de dignit. Psalt. B M V. c. 4. c. 7. in Apologet. c. 30. & 17. Reuel. B. M. V.

Miraculũ.

La Madona Porgendole la Mamella, la fabéére del suo latte.

Anno Domini 1607.

Dominicus Phalcinus sculptor.

Digitized by Google

Et hæc est gloria sacri instituti Prædicatorum cuius Viris Theologicis cum Romæ mentem meam de Opusculo hoc componendo, & quasdam propositiones resoluendas præsentassem, omnibus beneuolentiæ testimoniis ab eis optatam approbationem propositi, etiam cum Elogiis accepi.

DE SANCTO ANTONIO Paduano, Ordinis Seraphici Minorum.

CHAP. IV.

HIC summam sanctamque, integram & perfectam sanctæ Virginis Deiparæ Maternitatem in suauissimo lacteæ educationis Saluatoris mysterio, ita iugiter ore & mente venerari consueuerat, vt inter cæteras preces metricas quæ in Ecclesia decantantur, hanc quæ incipit O gloriosa Domina, quotidie recitandam assumpserat, quod sacra præfata salutis nostræ mysteria, piè his verbis ibi recolantur, qui te creauit, prouidè, lactasti sacro vbere.

Cum igitur nocte quadam diabolus illum iugulare conaretur, ad pręfata mysteria mente, & ad prędictum Hymnum voce, vt potuit, recurrit, confusúsque abiens Dæmon, sanctum protinus illæsum dimisit; Exindè tanto deuotionis ardore quoad vixit, hunc Hymnum ita coluit, vt animam agens, iugiter illum in ore haberet, in cuius recitatione spiritum Deo reddidit, quem piissima Virgo, velut fasciculum inter vbera sua Christo Filio pręsentandum excepit.

Miraculũ.

Vadingus Annal. Min. ad An. Christi 1231.

Libet proindè, quæ de virtute & efficacia Hymni huius, in Chronicis Minorum habentur, hic referre.

Miraculũ.

In Altari Culparum Conuentus Fratrum Minorum Ciui-

Digitized by Google

tatis Vlissiponensis in Lusitania, summo in honore habetur Imago beatę Virginis, quæ oranti tyroni, ad indiscretum sui Gardiani prǫceptum, vt dignaretur reuelare quænam sibi esset inter omnes orationes, aut metricas preces Ecclesiasticas, gratissimam, respondit, illam quæ incipit; O gloriosa Domina, & obiicienti iuuenculo responsum referenti, non sibi facile crediturum Gardianum, prodigiosum signum adiunxit; Etenim, quem eo vsque infantulum Iesum læua gestabat, in dextram transmutauit, subiungens, Abi fili confidenter, & inuita rigorosum illum tuum Gardianum cum cęteris, vt videant: venerunt ergo cuncti, viderunt, & mirati sunt.

In huius autem rei memoriam, quoquo totius anni Sabbato, pulsata maiori campana vt deuotus populus accedat, à Cœna fratres omnes luminaribus accensis, prędictum Hymnum solemniter cantant, aliasque preces adiiciunt, &c.

Sanctus Ambrosius Doctor mellifluus Ecclesiæ, in cuius ore examen apum consedisse legitur, in honorem suauissimorum mysteriorum fidei nostræ, de quibus in hoc Opusculo pertractamus, summa deuotione præfatum Hymnum composuit, ideóque per omnia sanctissimę Virgini gratissimus est.

Digitized by Google

DE SANCTA LYDVVIGE Virgine, & mira sanctissimæ Virginis Deiparæ erga illam gratiarum suauitate.

CAPVT V.

Ioan. Brugmanus Frãciscanus in vita S. Lyduuig. post plurima.

Tom. 3. operum Thomæ à Kempis l. 4. vita S Lyduuig. de visione in miraculum.

Nocte Natiuit. Dom. & de ubert. lactis in uberibus eius.

SANCTA LYDVVIGIS sacratissima Dominicæ Natiuitatis nocte, vidit innumerabilem multitudinem Virginum, quibus præerat Regina Angelorum, inter quas & hæc ipsa Lyduuigis fuit admissa cum ingenti multitudine Angelorũ. Instante igitur hora Dominicę Natiuitatis, qua Virgo Deipara Christum peperit infantem, visa sunt omnia illarũ Virginũ & huius similiter vbera, prę abundantia lactis intumescere, at tantum lactis habere, quantum beata Virgo ad lactandum Saluatorem nostrum in Virgineis vberibus eius percepit, quando in lucem mundi Christum peperit. Igitur ad similitudinem beatæ Virginis, omnium illarum Virginum vbera lacte videbantur repleri; interim vidua quædam ad Virginẽ ingreditur quæ vbera illius manu terens, tanta fœcunditate lactis abundarunt, quod vidua trino labiorum tractu extitit satiata, & pluribus diebus à desiderio comedẽdi permansit, & nisi Virgo iussisset, à cibo corporali penitus abstinuisset.

Post hęc quoque eandem gratiã duobus aut tribus annis aliis in eius vberibus percepit, tandem cum Deipara Virgine Filium lactante, & paruulum enutriente, lacte ipsa quod mireris alebat, Christi lactantis Lyduuinæ rem omnem cogitanti atque sanctissima contẽplatione rimanti vbera, ne quid ad Deiparæ perfectam imitationem deesset Virginali & miraculoso sunt lacte distẽta, quæ enim viuebat vt pauci, digna fuit quamobrem illud assequeretur quod solet euenire perpaucis.

DE

DE SANCTA GERTRVDE Abbatissa & Virgine, in Ordine sancti Benedicti Abbatis.

CAPVT VI.

STATVTIS quorumdam dierum horis Christus Iesus sub specie paruuli atque lactentis in sinum huius Virginis visibiliter descendebat, & miraculoso quo tunc castissima eius vbera lacte replebantur mirabili planè diuinI amoris dignatione pascebatur. *Lib. Insin. diuinæ piet. vitæ S. Gertrud.*

Exindè infra scriptam orationem ad sanctissimam Virginem Deiparam composuit, qua quotidie illam salutare consueuerat. *Miraculum.*

ORATIO.

AVE candidissimum nitidissimæ, & semper tranquillissimæ Trinitatis lilium, cœlestisque amœnitatis floridissima Rosa, ex qua Rex Regum nasci voluit, & Virgineo Virginalium vberum lacte pasci. Cœlestibus tu diuinarum gratiarum influxionibus pasce animas nostras. Amen.

O Altitudo diuitiarum diuinæ benignitatis & charitatis Dei, certè nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus ipse diligentibus se Virginibus etiam in hac vita diuinæ dignationis beneficia contulit, & in æternæ beatitudinis gloria, gaudia præparauit.

† † †

T

Digitized by Google

DE QVODAM CLERICO Niuernienſi, ſanctiſſimæ Virgini Deiparæ deuotiſſimo.

CAPVT VII.

B. Petrus Damianus l. 6. Epiſtol. c. iſt. 19.

CLERICVS quidam Niuernienſis in Gallia, morbo preſſus elanguit, iamiamque ſuperexcreſcente moleſtia moribundus ad extrema peruenit: hic planè regulam ſibi ſanctæ ſeruitutis induxerat, vt quotidiana per ſingulas horas ſacratiſſimæ Virgini vota perſolueret. Cum ergo de vita ipſius iam pene nemo confideret, & velut egreſſurus in eius pectore ſpiritus anxiè palpitaret; Ecce gratioſa Mater Domini, Matrem ſe oſtendens etiam ſerui ſui, viſibiliter adſtitit, & è ſacri vberis papilla, lac experimens, eius labiis inſtillauit, ſicque diuinæ virtutis Antidoto, protinus ille reſumptis viribus ex infirmitate conualuit, moxque clericalibus ornamentis indutus Eccleſiam adiit, ſeſeque choro pſallentium fratrum lætus interſerens mirum videntibus ſpectaculum præbuit. Dicitur etiam, quod adhuc in labiis ejus quædam lactis cernebantur veſtigia: Sic denique eiſdem labiis quibus Diuam Virginem laudauit & coluit, ipſa quoque lac ſalutis immulſit, vt per eius corporis membrum quo ſibi venerabilis Clericus laudis obtulerat gloriam, congrua viciſſitudine recuperandæ ſalutis ſuæ perciperet Medicinam.

Miraculum.

DE MELLIFLVA SANCTISSIMÆ Virginis Deiparæ gratia erga peccatorem quemdam, cuius gratiæ suauitate vitam ipsius ad statum pœnitentiæ, & perfectionis reduxit.

CAPVT VIII.

CLERICVS quidam, Deiparæ deuotissimus extitit, qui quoties ante venerandam eius imaginem, aut Ecclesiam transiret Angelica salutatione recitata, verba quoque hęc omni qua poterat deuotione proferebat; Beatus venter qui te portauit, Christe, & vbera quæ suxisti. Cum autem sæculi vanitatibus, & carnis voluptatibus se totũ aliquãdo dedisset, numquã tamen huiusmodi verba, ex memoria deposuit. *Vincent. Beluac l. 7. c. 44. Carthag. de Virg. to. 3. hom. vlt. l. vlt. §. 120.*

Huic ergo molestia corporis & dolor inoleuit, vt linguam & labia dentibus dilaceraret, idipsum de aliis membris facturus si permitteretur. Cumque iam lingua, & labiis penitus absumptus, vehementer in aliis membris se læderet, iaceretque horrendus aspectu (quantum datur intelligi Angelus eius erat) hic ægroti sui ærumnas plorans, in hunc modũ lamentari videbatur. Quid, ô Domina misericordiæ, fons pietatis, hoccinè est gratiosè & gloriosè saluandorũ? hæcque est lingua, quæ beatificando vbera tua longo vsu, ex ardenti affectu sic assiduè facta vt penè nihil aliud sonare nosceret? O Domina, si tu dees tuis, quis aderit suis? non sic Domina, non sic, adnihilum deueniet spes hominum, si in te incipiunt non inuenire refugium. Hæc cum in auribus ægri declamaret: Apparuit Mater Domini, & quasi satisfaciens de mora de qua insultabatur, ad lectulum languentis propius accedit, extractoque vbere, visa est lactis rore linguam ac labia ægrotantis, irrorare. Surrexit ergo sanus &

incolumis qui antea iacebat ægrotus, factamque circa se misericordiam, omnibus cœpit prædicare, & post modum se suaque omnia Dei seruitio mancipans, de cætero vitam duxit Religiosam & bonam.

CELEBERRIMO MIRACVLO, ad pœnitentiam Miles quidam Raptor prædarius conuersus, mysteriorum integræ Maternitatis, Beatæ Mariæ Virginis deuotus extitit venerator. Cuius sacrorum vberum virtute salutem à Domino consequutus est.

CAPVT IX.

Pomer. l. serm de B.M.V. c. 7. Prompt. exempl. Ioan Grithsi Ord. Min. Apud Carthag t. 3. de Virg. l. & 6. vltim. § 94.

MILES quidam, deuotam vxorem habens, extitit Raptor prædarius. Induxerat autem eum vxor eius, vt in honorem Deiparæ Virginis die Sabbati ieiunaret, & angelicam salutationem dum ante venerandam eius imaginem transire contingeret deuote recitaret. Licet ergo nec Deum timeret, & omni spurcitia vitiorum plenus esset, vxoris tamen consilia quoad vixit, in honorem B. M. V. adimpleuit. Cumque semel iret ad peccandum, Ecclesiam quam præteribat ingressus imaginem Deiparæ cum puero suo in sinu animaduertit: Et cum iam recitare salutationem angelicam inchoasset, vidit Christum infantem vulneribus innumeris vulneratum cuius sanguis fluebat copiosissimè in gremium Matris: Vnde obstupefactus, ait, O Domina, quis fecit hoc? Et Virgo respondit; Tu, & alij peccatores qui amplius crucifigitis Filium meum quam Iudæi. Volebatque illa sanguinem Filij tergere & restringere nec poterat. Tunc peccator compunctus dixit ad Virginem; O Mater miseri-

Digitized by Google

cordiæ intercede pro me: & Virgo ad ipsum: Vos peccatores vocatis me Matrem misericordiæ, qui & miseriæ ac tristitiæ Matrem facere non cessatis; Ille tandem, non Domina, ait, non sic loquaris clementissima, sed memento te esse Aduocatam peccatorum, & intercede pro me. Tunc Mater ad Filium. O piissime Fili amore mei, miserere huic peccatori mihi supplicanti: sed Filius ad Matrem; Noli, inquit, grauari dilectissima parens, ego quoque rogaui Patrem, vt si possibile foret alio modo genus humanum redimere, transferret à me Calicem passionis, nec impetraui, &c. Mater tandem: ô Fili, (ait) *Memento quod Materno amore te vberibus meis alui, & condona huic peccatori, &c.* Tunc Filius ad Matrem; Propter te, inquit, indulgeo, in signum autem pacis accedat, & osculetur vulnera mea, quod cum ille faceret; ecce osculando omnia & singula sanabantur, intellexitque se veniam exindè consequutum. Deo itaque & Virgini Matri gratias agens, domum reuersus, malè ablata restituit, mundumque deserens cum vxore sua religionem ingressus fœlici fine diem vterque clausit extremum.

PLVRIMAS AC VARIAS sanctissimæ Virginis Deiparæ imagines lacteam educationem Saluatoris referentes benedictus ipse Deus maximis miraculis illustrauit.

CHAP. X.

IN Ecclesia sancti Veroli Castri Castellionis super Sequanam Lingonensis Diœcesis, quædam imago in veneratione & honore beatæ Virginis Deiparæ antiquitus extitit constructa, quæquidem imago sancto Bernardo Filium suũ obtulit miraculosè in Ecclesia, dicens; Bernarde suscipe Puerum meum, totius mundi Redemptorem. Deinde quoque vltra omnem humanæ naturæ virtutem, ac si Chri- *Manol. Cistero 13. Maij.*

sti frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mamilla illico beato Bernardo sibi deuoto, ore aperto tres guttas lactis ab ipsius imaginis mamillis profluentes distillauit, & ab hinc laudes quamplurimas Cœlorum Reginæ sanctus iste composuit.

Dictum autem miraculum accidisse refert ur, cùm à sancto Bernardo Hymnus *Aue Maris stella* deuotè recitaretur, & *Monstra te esse Matrem* sæpius ab eodem proferretur.

Imago autem veneranda in Templum tutius conseruanda deportata est, vbi magna cum veneratione & populi concursu, maximè verò cum temporis necessitas exigit, in loco celebri & eminenti asseruatur, ex quo deponitur à tribus Sacerdotibus trium dierum ieiunio præparatis, & solemni in Processione, à plurimis Virginibus eodem ieiunio triduano præmisso deuotissimè circunfertur.

Sunt Castellione qui dicunt eandem imaginem lactis guttas cum demittitur stillare.

Nunc autem supersunt duo probatæ vitæ Presbyteri illic demorantes, vnus vocatur Edmundus, alter clemens, qui palam affirmant in manus tertij Sacerdotis, qui Iacobus Viandot dicebatur modo defuncti lactis copiam defluxisse, ita vt Sacristiam petere, illicque manus abluere cogeretur.

Exindè in honorem Ordinis Cisterciensis hi versus originem habuere.

Splendet ante alias Cœli via lactea partes,
Cistertij ante alios sic nitet ordo Sacer:
Hausit enim Bernardus opem, & cum lacte nitorem,
A genitrice Dei quo suus ordo micat.

Hactenus Mœnologium Cisterciense.

Clarum est qualibus & quantis miraculis claruit, sacra sanctæ Mariæ de Pace imago, quam Xistus IV. ædificato templo in Altari maiori collocauit Romæ: refert autem Virgineum Christi Saluatoris lactatum, & ab impiissimo

quodam, percussa, copiosum ac miraculosum sanguinem emisit.

Clarum item de imagine sanctæ Mariæ Gratiarum apud Neapolim in Italia, cuius vberum lacte totum purgatorium, in salutem animarum fidelium defunctorum refertur irrigatum.

Sed de celeberrima, & antiquissima, totoque orbe famosa sanctæ Mariæ Angelorum seu de Portiuncula imagine, supra maiorem portam sacri Sacelli Porticellæ collocata, Christum lactentem referente, prope Assisium in vmbria Italiæ prouincia clarissimum est, quantis miraculis sit illustrata, quàm multoties visa est populo in processione benedicere, quam summis votis Seraphicus Pater sanctus Franciscus ita coluit, vt ante mortem fratribus suis præceperit ne vnquam locum hunc desererent; Si quis, ait, per vnam portam vos eiecerit, intrate per aliam, Incarnationis Verbi Mysterium ad altare maius Angelo Mariam salutante refertur; porta vero prædicta lacteæ educationis beatissimi Saluatoris suauissimo mysterio signatur. *Chron. Min. 1 p. c. c. 5. & 6. & 69.*

Et sicut in sacra Scriptura habetur, serui perforabatur auricula qui dicebat; Diligo Dominum meum, non recedam, &c. Ita & Christum Dominum suum & beatam Virginem Deiparam ita dilexit Seraphicus vir sanctus Pater Franciscus, mysteriorum prędictorum Incarnationis & lactationis Saluatoris allictus, vt domum hanc sacram non solùm quoad vixit singulari honore sit prosequutus, sed & fratribus suis, vt dictum est, ne ab ea recederent, iniunxit, & perpetuis votis reuerendam reliquit. Non ergo mirum si in manibus, pedibusque & latere, Christi Iesu, caractere sit insignitus, & perforatus, &c.

GRAVIORIBVS DIVINÆ IVSTItiæ flagellis puniuntur, inhonorantes, indigneque pertractantes sacras Virginis Deiparæ imagines Christi Domini lactatum referentes.

CAPVT X.

Titelmanus Bredembachius l. 3. coll. c. 21. an. 1031. Anton Dauer. in Catechism. histor.

IN Monasterio sancti Ruperti propè Bingacem Ciuitatem in Moguntio in Ecclesia Monacharum in qua corpus sanctæ Hildegardis honorificè requiescit, extat imago veneranda Virginis Deiparæ. Cuius pectus quinque lapidibus preciosis erat ornatum: Hanc ergo Ecclesiam miles qui eam ingressus, vt furto aliquid arriperet, pugione sacræ imaginis venerandum pectus percutiens quatuor lapides abstulit: Cum autem quintum ad vbera collocatum auellere conaretur, ecce subitò indè tantus lactis & sanguinis simul fluxus manauit; vt nec puluere, nec terra vnquam prohiberi potuerit. Sacrilegus itaque miles miraculo expauentatus, & mente captus, ac versus in rabiem, se in flumen Nahum præcipitauit, vbi miserrimè periit. Preciosum autem sanguinis & lactis liquorem sex Monachæ piissimè collectum, vsque in præsentem diem religiosissimè asseruarunt, & deuotè venerantur.

Ex Archiuis Ecclesiæ Burburgensis anno 1383. 27. Septemb. Anthon. d'Auer in Catechism. hist.

Anno 1383. 27. Septembris, miles quidam Ecclesiam Burburgensem ingressus vt vasa sacra furaretur venerandæ imaginis Deiparæ animaduertens deauratum; scire voluit an purum esset aurum quod fulgebat augustius. Pugione ergo mamillam vnam percussit; vnde velut è fonte copiosus sanguis scaturiens in terram vsque fluxit, & sacrilegus miles tanto miraculo perterritus crepuit medius, & diffusa sunt

sunt omnia viscera eius, sed hoc mirandum valdè quod cum corpus eius ad sterquilinia esset proiectum numquam potuit nec terra, nec luto, nec sterquilinaribus excrementis operiri sacrilegâ manus qua venerandæ imaginis pectoris mamillam percusserat, sed semper in aërem extitit erecta. Pia mulier in angulo Ecclesiæ orans, proprio capitis velo miraculosum sanguinem reuerenter collectum, piè asseruauit. Quibus patet qualibus flagellis puniantur sacras Imagines Virginis Deiparæ lacteam Christi Domini educationem referentes, inhonorantes.

QVANTVM CONTRA PESTEM valeat lacteæ educationis Saluatoris, sacrorumq; vberum sanctissimæ Virginis Deiparæ beata memoria, & inuocatio.

CAPVT XI.

LABORANTE vniuersa Conimbricensi Ciuitate grauissima peste, cœpit Monasterium Clarissarum, quæ Vrbanistæ vocantur infici, cumque Abbatissa daret operam ad cratem, vt sorores aliò transferrentur, affuit ex inopinato mendicus, dicens; Si curaueris vt Antiphona, & Oratio hæc in Cartula scripta singulis diebus decantetur, hic locus omnino immunis à peste erit, hisque dictis euanuit. Existimarunt sorores fuisse sanctum Bartholomæum Apostolum; Quidquid tamen sit, in dubia res est, Cœnobium ab eo tempore ab omni pestifera lue, Conimbricensi etiam Ciuitate infecta liberum extitisse. Antiphona verò & Oratio, Beatam lacteæ educationis Saluatoris, & sacrorum vberum sanctissimæ Virginis memoriam & inuocationem referunt his verbis; Stella Cœli extirpauit quæ lactauit Dominum, Mortis pestem quam plantauit primus parens hominũ,

Gonzaga General. Ordinis hist. Seraph. p. 3. de Prouincia Portugal. Monast. 5. Monast.

Digitized by Google

&c. & in Oratione ita habetur. Ob amorem illius Stellæ gloriosæ, cuius vbera preciosa, contra veneaum nostrorum delictorum dulciter suxisti, &c.

His clarissimè apparet quomodo in ratione integræ Matris Saluatoris, beatissimæ Virginis in salutem nobis omnibus prosit sacrorum vberum virtus & efficacia.

Quod si attendamus ad auctores historiarum, videbimus non tantum iustis & peccatoribus, vt patuit supra, sed & brutis ac animalibus prodesse Virginei lactis Virginis eiusdem gloriosæ, ex quo propter nos, Verbum ipsum caro factum lactauit efficacia prædicta, nam varia referunt miracula, de terra illa lactea, apud Bethlehem Virgineo Virginalium vberum Virginis Deiparæ irrigata, quam Turci in Persidem vsque portant, magnoque pretio Persis illam vendunt, miræ enim virtutis est ad ciendum lac ouibus, & aliis eiusmodi. Immensæ enim non solum dulcedinis, sed & efficaciæ ac virtutis est sanctissimæ Virginis Deiparæ Virgineum lac, cuius preciosę reliquiæ magno in honore variis in locis apud Christianos habentur, vt ego, Romæ, apud Carnutum, & Ebroinum, in Gallia, & alibi veneratus sum.

Carthag de Virg. Ioannes Benedictus Ord. Min. Turon. Prouinc a Turon. Pictauens ad B. M. V. ante summam peccat.

AD SANCTISSIMAM VIRGINEM PRO CONCLVSIONE HVIVS TRACTATVLI.

ORATIO.

CVM munusculi manipulo hoc meo, (Virgo immaculata) & cum exultatione ad te venio. Accipe quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas meas orando excusa, admitte preces meas intra sacrarium exauditionis, & reporta mihi antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingessi; fiat impetrabile quod fida mente posco. Accipe quod offero, redona quod rogo, excusa quod timeo, quia tu es spes vnica peccatorum, & per te spero veniam delictorum, ac in te beatissima meorum est expectatio præmiorum.

Æterna sapientia, quam de Spiritu sancto Virgo ante partũ concepisti sine pudore, quam Virgo in partu peperisti sine dolore, quamquã Virgo post partũ lactasti, & nutriuisti Cælesti *rore,*

Digitized by Google

à fine vſque ad finem fortiter ſuauiterque diſponens **omnia**, **ad** *fœliciſſimum finem quoque per te & Tractatulum, & Opuſculum ſimul fœliciter deduxit. Tibi ergo, gratias ago; tibi, inquam hoc quidquid eſt operis do, voueo, dico, ſeu potius, benignè, liberaliter, gratis datum, creditum, depoſitum, quocumque nomine qua poſſum lubens meritò, fideliter reddo, reſtituo, conſecro, hoc ſupremis exoptans votis, vt ſanctorum ſeruorum tuorum, qui ſummam ſanctamque, & veram, integram, & perfectam Maternitatem vnam coluere veſtigiis, haud diſpari paſſu inſiſtens in hac vita, in æterna cum ipſis æternas laudes tuas ſine fine valeam decantare. Amen.*

Digitized by Google

TRACTATVLVS QVINTVS.

DE VIRTVTIBVS QVIBVSDAM, in quibus puriſſimus animus ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ lactando Chriſtum Redemptorem exercebatur.

AD TRACTATVLI COMMENDationem Præfatiuncula.

INSPICE, & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt, ait Dominus ad Moyſem, in mõte itaque ſummæ perfectionis ad quem aſcendere contendimus; exemplar omnium virtutum ſanctiſſimam Virginem Deiparam, non dimidiatam, neque partitam, aut diuiſam, ſed integram, & perfectã Dei Matrem habemus. Lactando ſiquidem Chriſtum Redemptorem, ita de virtute in virtutem progrediebatur, vt digna extiterit, non tantum illũ videre, & alloqui, ſed & manibus pertractare, brachiis am-

Digitized by Google

plexari, fouere gremio, finu geftare, caftiffimifque Virginei oris ofculis deofculari, & omnibus ftudiis ad quę ipfam Materna pietas informabat, ei pro qualitatum viciffitudinibus fedula blandiri.

Itavt iam talis tunc effet, vt ipfius vita omnium extaret difciplina.

Omnibus fanè omnium virtutum generibus ornatam, iam antea Angelus reperit, quam gratia plenam falutauit, fed ex quo Deum, ac dominum virtutum in fe non folum incorporatum habuit; verumetiam ex fe natum vidit, & à fe educatum confpexit, Regina quoq; virtutum prædicari meruit.

Ergo non immeritò de virtutibus quibufdam, in quibus puriffimus animus eius, tunc temporis maximè cum Virgineo Virginalium vberum fuorum lacte Chriftum educaret exercebatur, breuiter pertractare pertentamus.

Lectorem autem piè monendo obteftamur, vt affectum cordis noftri in fummam & integram Virginis Deiparæ Maternitatem, magis quam verborum concinnatum attendat; Sermo enim nofter, & fi rudis, inelegans, & impolitus fit, eft tamen de virtutibus fummæ & integræ Matris Saluatoris. Ideò, non in perfuafibilibus humani eloquij, humanæque eloquentiæ verbis loquimur, fed in oftenfione fpiritus & virtutis.

Virtutis igitur amator, virtutumque Virginis fanctiffimæ fectator, pius ac virtuofus Lector accedat, & benedictionem hanc paruulam quam à Domino meritis integerrimæ matris eius accepimus, ne defpiciat.

Digitized by Google

DE MIRABILI SANCTITATE, *quam eo præſertim tempore, quo, Virgineo Virginalium vberum ſuorum lacte, Saluatorem educabat Virgo Deipara, coluit.*

CAPVT PRIMVM.

SANCTI eſtote quoniam ego ſanctus ſum, ait Dominus Omnipotens. Cum autem ſanctitas ſecundum ſanctum Dionyſium ſit ab omni inquinatione libera, perfecta, & incontaminata puritas, quis ſanctorum omnium Virgine Deipara ſanctior, quæ etiam in Adamo non peccauit, & præclara Virga extitit, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit? Sanctam ergo illam primo oſtendemus, deinde in lactea educatione Saluatoris ſanctitatis illius virtutes videbimus. *S. Dion.*

Eius autem ſumma & eminentiſſima Sanctitas exindè maximè enituit, quod Mater, non dimidiata, neque diuiſa, aut partita, ſed integra & perfecta; hoc eſt, Mater ſimul & Nutrix, ac Gubernatrix Verbi, ſimulque Virgo ſemper immaculata extiterit. Vnde ſanctus Chryſoſtomus: Quidnam illa ſanctius? (inquit) non Prophetę, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, nõ denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inuiſibiles maius, aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt & Mater; eadem Virgo & Genitrix, &c. *S. Chryſoſt. apud Metaphraſt.*

Decebat, ait ſanctus Anſelmus, vt Chriſti Conceptio de Matre puriſſima fieret, nempe decens erat vt ea puritate qua maior ſub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret: Cui *S. Anſelm. l. de Conceptu Virginali.*

Digitized by Google

tur tanquam opposita.

Contraria, quæ sub eodem genere posita, maxime à se inuicem distant: & vicissim ab eodem subiecto, mutuo se expellunt, vt albedo & nigredo sub genere coloris, auaritia & prodigalitas sub genere vitij, &c.

Priuatiua quæ habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore à natura determinato, vt visus & cœcitas circa oculum, auditus & surditas circa aurem, mutus & loquens circa linguam. Ordine irregressibili, id est, aliter nunquam esse potest, cum à priuatione ad habitum non detur regressus, nisi per Dei omnipotentiam, &c.

Et contradictoria inter quæ non est dari medium, vt sedere, non sedere, Petrus sedet, Petrus non sedet, &c.

Peccatum & gratia nullo cernuntur oppositorum horum genere opponi.

Non relatiuorum, quia nulla est ibi dependentia vt inter Patrem & Filium, qui etiam comparatiuè ad diuersos, possunt simul de eodem verificari, non autem peccatum & gratia.

Non item contrariorum, non enim sub eodem genere constituuntur, sed sub diuersis, videlicet peccatum sub genere vitij, & gratia sub genere virtutis.

Non denique contradictoriorum, potest enim inter peccatum mortale, & gratiam dari medium, videlicet venialis culpa, quæ non tollit gratiam, &c.

Non tandem priuatiuorum, quia frequens, & quasi continuus à peccato ad gratiam per pœnitentiam fit regressus, vnde Scriptura, septies in die cadit iustus, & resurgit, &c.

Ergo per solam Dei voluntatem, & quia Deus sic voluit peccatum & gratia ita opponuntur, vt nunquam simul inueniri queant. Vnde, cùm Spiritus sanctus in diuinis à Patre & Filio tanquā ab vnico principio, per viā, seu modū voluntatis procedat, & gratia diuinæ volūtatis primogenita filia sit, ideo aliquo modo omne peccatum dicitur esse contra Spiritum sanctum, & spiritus sanctus gratiæ fons & origo prædicatur. Quanta itaque puritatis & sanctitatis ac gratię excellentia

putanda est excelluisse sanctissima Virgo Deipara, quæ omni labe, omnique macula etiam originali caret? quæ semper Deo plena, gratia repleta, & Spiritu sancto superplena extitit? peccatum sanè nunquam in ea locum habuit cui dicitur *Aue gratia plena Dominus tecum*, &c. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum*, &c. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c.

Continuatio & extensio Capitis.

TAnta puritatis excellentia, gratiæ splendore, & sanctitatis perfectione Virgo Deipara resplenduit, vt omninò in ea peccatum locum non habuerit, nec ei vllomodo nocere potuerit.

Nocet autem quibusdam peccatum, in substantia temporali: vnde dicitur de Prodigo euangelij, quod dissipauit omnem substantiam suam viuendo luxuriosè, cœpitque egere & pauit porcos. Item Scriptura, Qui nutrit scortum inquit, perdet substantiam, &c.

Sed Virgo sanctissima Regiæ stirpitis nobilitate insignis sanctorum nobilium ac diuitum parentum filia, sanctorum omnium Regina, ac Sancti Sanctorum Mater integra & perfecta, immunis ab omni labe effecta, mira liberalitate temporalem substantiam, quam peccatum, quod penitus ignorauit, auferre non potuit, pauperibus distribuit, ac ad imitationem Filij sui Christi Redemptoris qui propter nos egenus factus est, vt eius inopia ditaremur, voluntariam paupertatem, vt suo loco dicetur, summæ Sanctitatis virtutibus ditata religiosissimè coluit.

In sanitate corporis plurimos vulnerauit peccatum, vt de languido Euangelij patet, cui cum triginta & octo annos haberet iam in infirmitate, dicitur; Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare ne deterius aliquid tibi contingat. Virgo autem Deipara nullis vnquam corporalibus morbis subiacuit, infirmitatibusque omnibus caruit, quæ peccatum non fecit, & in qua Adam etiam non peccauit, à quo omnis languor, omnisque infirmitas, & morbus tam mentis quam

corporis ortum habuit.

Quosdam in fama, & vitę ac nominis claritate percussit, vt de nobili Magdalena constat, de qua habetur, quòd erat mulier in Ciuitate peccatrix, &c. Tantum autem Deus Pater, Christus Iesus, & Spiritus sanctus de Virginis famæ nobilitate & excellentia, ac integritate curam habuere, vt ipsa dicat; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, vnde nec verbum vllum ab ipsis Christi inimicis contra virginis huius famam prolatum scriptura commemorat, imo Turcarum etiam, ac Mahumeticæ sectæ Alcorani testimonio, summis laudibus extollenda venit. Priores ergo perfidissimis Iudæis ac Infidelibus Turcis sunt hæretici nostri temporis, huius benedictæ Virginis meritorum gloriam blasphemiis horrendis lacerare contendentes.

Aliis tandem, vt parentibus, amicis, ac benefactoribus, in vita quoque ipsa, per mortem nocere consueuit peccatum, stipendia enim peccati mors, ait Apostolus, vt de filiis Helih, & aliis plurimis legitur, per mortem autem parentes virginis peccatum quod ipsa commiserit, quæ vt supra patuit, ab omni peccato libera extitit, auferre non potuit, sed nobilior corona meritorum cum ad laudabilem senectutem peruenissent, ad cælos transmisit. Christus verò Iesus benedictus Dei & virginis filius, qui pro liberandis & saluandis omnibus hominibus venit, pro illis quoque in ipso iuuentutis flore oblatus est, quia ipse voluit. Ipse tandem sanctissima Virgo, gloriosissimam vitam ab omni prorsus peccato immunem, preciosissima morte concludens, super choros Angelorum ad cælestia regna exaltata est. Cui ergo omni ex parte peccatum non nocuit proculdubio tota sancta extitit.

Denique nocet peccatum, etiam beatis in cælo collocatis per modum abstractionis, abstrahitur enim pro tempore ab eis numerus electorum in superna fœlicitate locandus, nec sedes Angelorum replebuntur, donec consummetur abominatio, & finem accipiat peccatum.

Abest trahitur quoque ab eis, & maximè ab Angelis gaudium illud de quo Christus in Euangelio, gaudium, inquit, est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente,

Digitized by Google

&c. Merita autem & preces Beatæ Virginis illis omnibus prosunt, quibus diximus nocere peccatum, cum vt in tractatulis præcedentibus ostensum est, sicut Christus Patri latus & vulnera, ita Christo hæc, pectus & vbera pro reconciliandis Deo peccatoribus iugiter offert, exindè enim quotidie infideles ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam conuertuntur, vnde & sedes Angelorum tandem per beatam electorum translationem replentur.

Nocet iterum peccatum animabus in purgatorio detentis per modum substractionis, cum propter mortalem culpam substrahuntur merita suffragiorum, bonorumque operum viuorum fidelium quibus possent à pœnis eripi, & à flammis vltricibus liberari. Liberantur autem precibus & meritis beatissimæ Virginis Deiparæ, vt alibi monstrauimus, vnde multum prodest eius intercessio, quibus nocet peccatum.

Nocet etiam, animabus damnatorum, per modum coniunctionis, tanto namque augeri dicitur pœna damnatorum, quanto & numerus illorum, vnde rogat in Euangelio Diues epulo patrem Abrahamum vt mittat Lazarum ad fratres, ne, inquit, veniant in hunc locum tormentorum, quód sanè non dixit ex charitate, sed maioris supplicij metu: ergo cùm diuæ virginis meritis augetur in dies numerus electorum in æterna fœlicitate, sicut anteà declaratum est, ita minuitur numerus damnatorum quorum societate augetur supplicium infernorum. Et sic quodammodo prodest etiam illis suffragium virginis pro æterna electorum salute impensum.

Nocet insuper peccatum Ecclesiæ, per modum offensionis. Vnde Christus; Væ, ait, mundo à scandalis, &c. Væ homini illi per quem scandalum venit. Et de Iuda proditore, latrone, ac murmuratore, qui Collegium Apostolorum tantis vitiis scandalisauit melius fuisset illi, inquit, si natus non fuisset homo ille, &c. refertur adhoc, de quodam Iapponensium Philosopho, quód cum ferè totam terram peragrasset, inquisitus à suis quænam omnium Religionum sibi sanctior, ac melior videretur; his verbis, quid censes de Religione Iudæorum, Turcarum, & Christianorum. Censeo respondit ille, Religionem Iudæorum momiam esse simio-

rum. Religionem Turcarum ingluuiem esse porcorum. Et Religionem Christianorum, audacem esse stultitiam. Nimia namque Christianorum varietate vitiorum scandalisatus, ad fidem Christianam conuerti renuit, quibus patet quantum peccatum noceat Ecclesiæ. Virtutum autem ac sanctissimæ Virginis Deiparæ sanctitatis odore, & fragrantia, tota domus Ecclesiæ repleta est, vt etiam apud infideles beata reputetur: iuxtà illud; Ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Odor námque virtutum eius super omnia aromata fragrans omnium corda lætificat electorum.

Nocet tandem peccatum peccanti per modum priuationis, quandoquidem peccator, omni charitate, gratia, merito, præmio, & gloria priuatur, deficiente namque charitate deficit gloria, deficiente gratia deficit meritum, deficiente merito deficit præmium, deficiente præmio, vbi est gloria & beatitudo?

Triplici autem charitate priuatur homo per peccatum, essentiali, id est, Deo ipso de quo habetur, Deus charitas est, &c. Personali, id est, Spiritu Sancto, qui est amor & nexus amborum, charitas hæc diffusa est in cordibus Apostolorum, in die sancto Pentecostes, per Spiritum sanctum qui datus est illis, & virtuali, seu Theologali, id est, charitate illa qua Deus ipse purè propter seipsum, & proximus propter Deum diligitur, de qua dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.

Licet enim à sanctis Patribus septem amores, seu charitatis gradus sæpius referantur, naturalis videlicet quo parentes; rationalis quo amici & benefactores, legalis quo proximus ipse iuxta decretum legis, Euangelicus quo inimici, spiritualis, quo virtutes, etiam & ea quæ ad diuinum cultum, & pietatis Christianæ in decore domus Dei, id est Ecclesiæ & altari: de quibus saltes, Domine dilexi decorem domus tuæ, ne perdas cum impiis animam meam, &c. Cælestis, quo cælum ipsum Empireum, Angeli, & beati, habitantes in eo, & diuinus quo Deus ipse propter seipsum ex toto corde, anima, mente, & viribus diligitur, singuli tamen gradus seu amores isti cùm istius charitatis prædictæ sint rami,

& ab ea tanquam à radice vitam accipiant, in ea continentur. Vnde sanctus Gregorius, omne mandatum, ait, de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur: vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis, &c.

Sanctissimæ autem virgini peccatum omnino non nocuit, quæ Deo ita coniuncta est vt cum ipsa sola, identicè, vt ait sanctus Petrus Damianus, Deus extiterit, factus os ex ossibus eius & Caro de Carne illius. Et in qua Spiritus sanctus superueniens, adorandum Verbi incarnationis Mysterium operatus est, quæ tandem gratia semper plena extitit, ac charitate super omnes sanctos & electos refulsit.

Conclusio Capitis, continuationisque & extensionis eiusdem.

CVm igitur Virginem Deiparam, ob omni prorsus peccati labe immunem totam sanctam, & inter sanctos sanctissimam monstrauerimus, facile reuerà eò præsertim tempore, quo virgineo virginalium vberum suorum lacte alebat, ac nutriebat Christum Redemptorem, sanctitatis cultricem ostendemus. Stabat namque omni illo tempore, vt ait Seraphicus Doctor, vigilans & attenta super dilecti filij custodia: ô Deus (inquit) cum quanta reuerentia, timore, & amore, illum contrectabat quem Deum suum esse sciebat? Cum quanta sollicitudine & diligentia ipsum gubernabat? Flexis genibus accipiebat eum de cunis, lactabat, & reponet in eis, &c. cogitabat tunc quæ Domini erant, iuxta Apostolum, quia erat sancta & corpore, & spiritu, Virgo Virginum semper immaculata.

S. Bonauent. l. Medit. c. X.

De omni alia muliere, & conceptu maculata, & partu corrupta in lege habetur, omne sanctum non tanget, nec ingredietur sanctuarium donec impleantur dies Purificationis suæ, &c. Quod sanè de immaculata virgine nostra intelligi non potuit, quæ omnis sanctitatis auctorem, de Spiritu sancto concepit sine pudore, Virgo ante partum, peperit sine dolore,

Virgo in partu, & lactauit Cælesti rore, Virgo post partum; vnde sancta Mater Ecclesia; viderunt eam, ait, animæ sanctæ, & immaculatam prædicauerunt, hoc est, seipsis quantumcumque sanctis, sanctiorem agnouerunt.

Sanctitas est status omnium virtutum aggregatione perfectus, omnibus autem virtutibus, vt infra patebit, ac virtutum generibus resplenduit Virgo Deipara, eo presertim tempore quo Sanctum Sanctorum suis vberibus aluit, suoque lacte in cunabulis educauit.

Magnus, ait sanctus Augustinus, de cælo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus. Quam magnus autem sit ægrotus homo peccator, patet ex diuo Anselmo, & aliis Theologiæ Moralis Professoribus, hominem malitiosè peccantem, ipso Cacodæmone deteriorem asserentibus.

Diabolus namque peccauit nulla præcedente peccati vindicta, superbiens, homo vero iam visa pœna diaboli non continens. Diabolus peccauit in innocentia constitutus, homo vero innocentiæ restitutus. Diabolus perstitit in malitia Deo illum reprobante, homo vero Deo illum vocante, attrahente, & omnibus deliciis alliciente. Diabolus ergo obduratus est ad punientem, homo ad blandientem. Vterque contra Deum insurgit, sed, diabolus contra non requirentem se, homo vero contra morientem pro se. Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, quis audiuit vnquam talia horribilia?

Meritò ex his, duriori supplicio hominem dæmonibus ipsis puniendum forte asserunt doctores nonnulli. Idque multis de causis: primo propter talem ac tantam hominis contra Deum reluctantis ingratitudinem.

Secundo quia duplici supplicio, corporis videlicet & animæ homo ipse punietur, Angelus vero qui incorporeus est vnico torquetur. Tertio quia iuxta mensuram delicti, sic erit & plagarum modus; & per quæ quis peccauit, per hæc & torquetur, homo itaque propter multa carnis & corporis vitia, verbi gratia, gulam, ebrietatem, luxuriam, &c. quibus incorporeus Angelus non peccauit, justo Dei iudicio relinquetur extremo supplicio perimendus. Quarto, quia Ange-

lus tale, quale homo pœnitendi tempus non habuit. Quinto tandem quia Angelus caruit Redemptore qui pro se moreretur, & alia ac tanta, quanta Christus pro hominibus pertulit, pati dignaretur. Quibus omnibus patet quanta ægritudine magna, magnus detineretur homo ægrotus, quantaque & magna indigeret medicina. Et per consequens quam sancta & pura, ac immaculata extiterit Virgo Deipara, cuius lac in Sanguinem Christi conuertebatur, in lactea educatione eiusdem piissimi Redemptoris, quo nos omnes Redempti sumus. Propter quod, ait Albertus Abbas, nihil ibi austeritate pungens, nihil per libidinem inebrians, sed vnguentum fragrans, ex humore nutriens vnctum Christum, & omnes nostras sanans infirmitates, &c. Clarius autem quantis virtutibus refulserit eo præsertim tempore, qui maximè eius sanctitas plurimum commendatur, infra patebit.

De præcellentissima Deiparæ Virginis fide, in suauissimo præsertim lacteæ educationis Saluatoris mysterio speciali commendatione veneranda.

CAP. II.

BEata quæ credidisti, ait Elizabeth, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi, &c. perficientur, inquit, in futuro, nedum enim completa, & perfecta omnia in Incarnatione extitere, impleta sunt autem eo tempore quo se non dimidiatã, neque partitam, aut diuisam, sed integram, & perfectam Dei Matrem, hoc est, Matrem simul & Nutricem ac Gubernatricem eiusdem vidit. Vnde canit Ecclesia, Ecce completa sunt omnia quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria, talem autem se conspexit quia credidit, ideo eo præsertim tempore quo Virgo Deum genuit

Digitized by Google

nuit, aluit, & educauit, fidei suæ præcellentissimæ à Deo præmium accepit.

Nulli sanctorum Veteris Testamenti claues Regni Cœlorum datæ sunt, non Abrahamo fidelissimo, non obedientissimo Isaac, non castissimo Ioseph, non patientissimo Iob, non Moysi mitissimo, non Dauid sanctissimo, &c. quia, vt ait Apostolus; adhuc primo tabernaculo habente statum, nondum propalata erat Sanctorum via: Præcursor autem pro nobis ingressus est Iesus, Pontifex factus in æternum secundũ ordinem Melchisedech, &c. Fides autem Mariæ vt dicit sanctus Augustinus Cœlum aperuit, cum Angelo nunctianti consensit. Et porta, vt inquit S. Anselmus, per quam Iesus intrauit fides Mariæ est, &c. Claues ergo regni Cœlorum, in Nouo Testamento, Petro credenti datæ sunt; iuxta illud, Tibi dabo Claues Regni Cœlorum; sed hoc factum est postquam fides Mariæ ad nos Verbum Patris attraxit.

S. August. serm. 7. de Nat. Dom.
S. Anselm. in c. 10. Lucæ.

Datæ sunt vero Petro, postea & non Mariæ: Petro, inquam, non tanquam digniori, sed tanquam seruo, apud namque Reges & Principes, non est Regina ostiaria domus, sed aliquis seruorum constituitur Ianitor.

Sed si Petrus Ianitor Cœli constitiutur, beatusque dicitur, quia credidit; iuxta illud, Beatus es Simon Bariona, &c. Tibi dabo Claues, &c. Quanto magis Virgo Deipara beatissima prædicanda venit? ideo vt dictum est illi, Beata quæ credidisti, &c. Ipsa ait; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, &c. Ideò, inquam, non ostij tantum, sed totius Domus Dei Domina effecta est, tanto enim fides Mariæ fidem Petri, & omnium tum veteris tum Noui Testamenti sanctorum superauit, quanto differentius præ illis omnibus per fidem suam nomen Matris Dei hæreditauit: perfecta sunt enim in ea omnia quæ dicta sunt ei ab Angelo quia credidit.

Vt autem excellentiam fidei Virginis Deiparæ supra fidem Petri & sanctorum videamus, quæ à sancto Augustino dicuntur attendamus. Fides nostrá, inquit, fides debet esse Christianorum, non Dæmoniorum. Dæmones dixerunt Christo, Tu es Filius Dei. Confitebantur Dæmones quod non credebãt

S. August. hom. 37. ex 50. c. 11.

homines, illi tremuerunt, isti occiderunt: Dæmones enim credunt & contremiscunt. Quid enim quia dixerunt Dæmones, tu es Filius Dei, scimus qui sis, ideo regnaturi sunt cum Filio Dei? absit. Discernenda est ergo fides Dæmonum à fide sanctorum: nam Petrus dixit; Tu es Christus Filius Dei; Et ait illi Dominus, Beatus es Simon Bariona, &c. O Domine hoc tibi dixerunt & Dæmones, quare ipsi non sunt beati? quia planè isti vi & tremore, Petrus verò amore confessus est. Fides itaque quæ per dilectionem operatur, Fides nostra est, &c.

At, vndecim amoris, & dilectionis, ac charitatis in Deum gradibus supra omnes sanctos excelluisse Virginem Deiparā satis Tractatulo primo monstrauimus; facile ergo coniicitur ex his, quomodo fides eius, quæ cœlum aperuit, & per quam Christus ad nos descendit, per dilectionem operabatur.

Fidem habuit principiatiuam, dignissima Virgo, qua vnus creditur & adoratur verus Deus, cuius & Mater non dimidiata, sed integra & perfecta fidei suæ merito effici meruit.

Fidem mediatiuam, qua Deo, id est, eius verbis, ministris, signis, & miraculis creditur, quando Angelo nuncianti credidit, vnde vt dixit, fiat mihi secundum verbum tuum, miraculū miraculorum in ea Spiritus sanctus operatus est; quo & Deus factus est homo, & ipsa Virgo simul & Mater extitit. At pro signo Elizabeth grauidam accepit.

Fidem tandem terminatiuam, quæ per charitatem operatur; & qua in Deum, credendo, amore & dilectione itur, qua supra omnes sanctos & electos, vt dictum est supra, excelluit.

Omnes autem homines etiam hæretici, & Dæmones, primum fidem habent. Sed secundam licet & electi, etiam & Dęmones qui conuincuntur signis & miraculis possideant, non tamen hæretici, qui verbo Dei non credunt, & signa respuunt, ac miracula reiiciunt. Ideò hæretici ipsi non tantam fidem quantam Dæmones habent. Soli vero fideles Catholici fide terminatiua quæ per dilectionem operatur excellunt. Placet autem de benedictæ Virginis fidei excellentia, paulò longius sermonem protendere.

Continuatio & extensio Capitis.

GAude Maria Virgo, ait Ecclesia, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Arhangeli dictis credidisti, &c.

Ex quibus clarum est, quod Virgo Deipara quia credidit, sola in vniuerso mundo cunctas hæreses interemit; ac fidei suæ præcellentissimę gladio confodit, sicut & alibi dicitur; Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo, vbi notandum est, quod:

Quidam Sanctorum quasdam hæreses in quibusdam mundi partibus extinxerunt, sicut de sancto Basilio legitur, quod ad prædicandum Christi Euangelium in Pontum accersitus eam prouinciam à Christianis institutis aberrantem, ad viam salutis, zelo, doctrina, & sanctitate reuocauit.

De sancto Dominico miranda narrantur, cuius ingenium & virtus maximè enituit in euertendis hæreticis qui perniciosis erroribus Tolozates peruertere conabantur.

De sancto Hieronymo habetur, quod hęreticos sui temporis, acerrimis scriptis continuo exagitarit.

De sancto Gregorio Papa, quod Donatistas in Affrica, Arrianos in Hispania repressit. Agnoitas Alexandria eiecit; Gottos hæresim Arrianam relinquere coëgit, qui etiam pallium Siagrio Augustodunensi Episcopo dare noluit, nisi Neophitos hæreticos expelleret ex Gallia: De sancto Damaso Papa, quod in dicto primo Constantinopolitano Concilio; nefariam Eunomij, & Macedonij hæresim extinxit: De sancto Ambrosio, quod factus Episcopus Mediolanensis Ecclesiasticam fidem, & disciplinam acerrimè defendit; multos Arrianos, & alios hæreticos ad fidei veritatem conuertit, in quibus Ecclesię lumen sanctum Augustinum Iesu Christo peperit.

Dic ipso sancto Augustino, quod Affricam magna ex parte ab hæresum erroribus purgauit, &c.

Sed, de sanctissima Virgine Deipara dicitur, quod, ex quo Gabrielis Archangeli dictis credidit, sola, in vniuerso mundo, cunctas hæreses interemit, quod & nos ipsi, ex aperto tripliciter fecisse cognoscimus.

Digitized by Google

Primo, in suę semper immaculatę Conceptionis primo instanti, quando serpentis eius calcanei insidiatoris contriuit caput; iuxta illud: Ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius, &c. Vbi notandum, quod ęterna Virginis electio, seu prædestinatio cum caput dicatur eiusdem, ipsiusmet immaculata temporalis Conceptio calcaneus appellatur. Quando ergo ab omni originalis peccati labe immunis extitit caput serpentis insidiatoris sui contriuit. Capite autem corporis contrito, omnia pariter membra, contrita, concisa, & contempta sunt, ideò victrix ex tunc Diaboli & omnium membrorum eius, hęreticorum videlicet, mirabili pręseruatoris gratia euasit.

Secundò, per Sacrosanctum, & benedictum semen suum Christum Redemptorem, quem velut altera Iahel supra tempus Sizaræ, hoc est Diaboli, ducis exercitus hæreticorum posuit, percussumque fidei suæ pręcellentissimę malleo, quando dictis Archangeli Gabrielis credidit, validè interfecit. Tunc enim de Spiritu sancto Filium Dei concepit, qui in hoc apparuit vt dissoluat opera Diaboli.

Tertiò, tandem quandò per eius merita, preces, & vota, sancti Apostoli, Patres, & Ecclesiæ Doctores in vniuerso mundo hæreses compresserunt. Illam enim viri sancti semper pia veneratione coluerunt: eiusque auxilio adiuti, hæreticos ad fidem conuerterunt, & alios infideles ad viam salutis reduxerunt, maximè qui eiusdem summæ & integræ Maternitati in suauissimo lacteæ educationis Saluatoris mysterio, deuotissimi extitere cultores. Vt, sancti Ambrosius, Augustinus, Bernardus, Anselmus, Bonauentura, Antonius Paduanus, Alanus Rupensis, & alij de quibus Tractatulis 2. & 4. egimus: Ita vt non solum sancti ipsi Doctores & Prædicatores; verumetiam populi eorum Prædicationibus, Scriptis & Disputationibus, Miraculisque ad fidem, & pœnitentiam conuersi beatam Virginem prædicare, illamque totis conatibus, ac summis votis vt beatissimā iugiter venerari contenderent. Hi sunt fructus, pręcellentissimæ fidei Virginis: beatior enim extitit concipięndo fidem Christi, ait Augustinus, quam carnem Christi. Beata, ait Seraphicus Doctor, non tantum

quia Christum gestauit in carne, sed beatior, quia ipsum perfectissimè gestauit in mente: ex hoc itaque beatam illam dicunt omnes generationes, & quia credidit non solum beata extitit, non solum, inquam, cunctas hæreses in vniuerso mundo interemit; verumetiam Mater Dei, non dimidiata seu partita, aut diuisa, sed vera, integra, & perfecta, hoc est, Mater simul & Nutrix, ac Gubernatrix eiusdem effecta est, gaudiaq; Matris habens cum Virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Conclusio Capitis, continuationisque & extensionis eiusdem.

FIdes ergo sanctissimæ Virginis Deiparæ, per omnia beatam illam reddidit, vnde ipsa beata prædicatur, quia credidit, attamen in suauissimo Virginei lactatus, seu lacteæ educationis Saluatoris, speciali veneratione commendatur; dum, vt sæpius dictum est, tunc summæ & integræ Maternitatis eius ministeria exercebat, ad cuius dignitatis summæ summam excellentiam fides sua illam erexerat.

Fides namque Virginis, eo tempore, ad alia, & omnia Redemptionis nostræ mysteria, & sacramenta se extendebat. Et per fidem illam de qua supra egimus, quæ per dilectionem operatur, infiniti tunc valoris ac meriti operi cooperabatur, dum vt integra & perfecta Mater Saluatoris, in lacte nutritionis sanguinem administrabat salutiferæ passionis; dum, inquam, infunderetur sanguis in passione, fundebat ipsa lac in nutritione influeret ex vulneribus, fluebat ex vberibus, vt in charitate perfecta funderetur in charitate non ficta fundebat, & vt copiosa fieret apud eum nostra redemptio, copiosa fiebat ab ipsa, hæc lactatio & nutritio. Iamiamque ex tunc pectus eius sacratissimum, omnium Martyrum sanguinis fiebat seminarium, cum ab ea acciperet Rex Martyrum vnde suum in Cruce consummaret martyriũ, à quo omnium Martyrum omne Martyrium sumpsit exordiũ. In hoc maximè fides Diuæ Virginis commendatur. O quam sæpius istud repetabat, Patrem alloquens dum Verbum ipsum

Patris pro nobis caro factum, & in Cruce moriturum suo lacte educabat. *Fiat mihi secundum verbum tuum, &c.*

Cum ergo ad talia ac tanta salutis nostræ mysteria eo præsertim tempore, fides Virginis se extenderet meritò per fidē, & ex fide ipsa sua beatam illam dicunt omnes generationes.

Signum tunc magnum Ioannis extitit Euangelistæ, beata Virgo, fuitque mulier amicta sole, cuius sub pedibus Luna, & cuius in capite stellarum duodecim corona. Hoc est omnium Sanctorum, tum veteris, tum noui Testamenti, etiam & Angelorum virtutis excellentiam quantumcumque præstantem sua fide superante. Per Lunam enim status Patrū veteris Testamenti intelligitur, quem tantis ac variis vicissitudinibus mira semper prouidentia Deus gubernauit. Per stellas vero nouæ Legis gratiæ sanctorum fœlicitas designatur, fulgebunt namque, isti illi sicut stellæ in perpetuas æternitates, & per solem cœlestium spirituum gloria detegetur.

Fides itaque omnium Patriarcharum, Prophetarum, & crum antiquorum sub pedibus beatissimæ Virginis constituitur, nam Elias operuit pallio vultum suum dum transiret in sibilo Dominus. Moyses abscondit faciem suam, non enim audebat aspicere contra Dominum. Abscondit se Adā dum vocaret illum Dominus in Paradiso voluptatis; Ieremias, ait, a,a,a, Domine Deus, Ecce nescio loqui quia puer ego sum. Vultus Danielis hærebat terrę dum illum Angelus erexit super genua sua, & sic de cæteris. Quem autem cœli capere non poterant, ex quo credidit suo gremio diua Virgo contulit, & benedicta in æternum Deum nobis protulit & hominem, quem de Spiritu sancto concepit sine pudore, peperit sine dolore, & lactauit, mammauit, pauit, nutriuit, & educauit cœlesti rore, sola enim Virgo lactabat vbere de cœlo pleno. Exindè ergo Luna sub pedibus eius statuitur, & corona stellarum duodecim coronatur, ac sole amicitur.

Coronantur Reges & Reginæ, in signum summæ supræmitatis ac regiæ dignitatis & potestatis supra subditos, quo indicio nouimus omnem fidem noui sanctorum testamenti suæ fidei merito, fidem Mariæ superasse.

Angeli quoque ipsi non plus vident & agnoscunt nunc,

Digitized by Google

quàm à principio suæ beatitudinis viderunt & agnouerunt, nec vltra progrediuntur; Vnde semper Seraphini stantes describuntur iuxta illud, duo Seraphim stabant alter ad alterū, &c. Et iterum; Seraphim stabant super illud, &c. Sed Maria, ab ipsa fide sua, qua nobis cœlum aperuit, & per quam ad nos Iesus Christus descendit, de virtute in virtutem, maximè temporibus beatissimæ lactationis Saluatoris, vt infra patebit, progressu mirabili vsque ad summam sanctitatem ascendit. Vnde & ipsum Deum Deorum in Sion, non solum videre, sed & alloqui, tangere, gestare sinu, portare gremio, brachiis amplexari, osculari, sed alere, nutrire, & educare meruit.

Fidem insuper omnium salutis humanæ mysteriorum, ac Redemptionis salutiferæ nostræ sacramentorum habuisse Virginem sanctissimam reperio. Dum, enim ait, Fiat mihi secundum verbum tuum, siue Angelo consentiens, siue alloquens Patrem, cuius Verbum de Spiritu sancto concepit; omnia se credere ostendit, siue præterita, siue præsentia, siue futura, siue in æternitate, siue in tempore, vel operata, vel operanda sacramenta.

Fidem namque sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis habuit, quando se Patris Verbum concepturam de Spiritu sancto credidit: dicens; Fiat mihi secundum verbum tuum, &c. Dixerat enim illi Angelus. Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Concipies & paries, &c. Filius altissimi vocabitur, &c.

Fidem habuit attributorum, dum credidit dicenti, Apud Deum non est impossibile omne verbum.

Fidem quoque creationis, verbo namque facta sunt omnia, fidem Incarnationis, qua Verbum caro factum est.

Fidem sacramentorum quæ verbo conficiuntur, Verbi gratia, Ego te baptiso, ego confirmo te, ego te absoluo, Hoc est Corpus meum, &c. Cum ergo Verbo diua Virgo adhæsit quo omnia perficiuntur, omnium fidem habuit, sed maximè temporibus lacteæ educationis Saluatoris, hæc omnia salutis nostræ mysteria, vt clarius infra ostendemus, ad memoriā reuocando, pia meditatione venerabatur; Vnde Ecclesia, Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo, &c.

Digitized by Google

De ſanctiſsima ſanctæ obedientiæ ſanctiſsimæ Virginis Deiparæ virtute, quam, temporibus etiam lacteæ educationis beatiſsimi Saluatoris, ſumma Religione coluit.

CAPVT III.

S. Auguſt ſerm. 12. de Temp.

OBEDIENDO credidit, & credendo obediuit Virgo Deipara, ita vt, ſi per fidem beata dicitur, per obedientiam beatiſſima prædicatur, vnde S. Auguſtinus, O fœlix obedientia, ait, ô inſignis gratia, quæ dum fidem humiliter dedit cœli in ſe opificem incorporauit, &c. Tali autem incorporatione Mater effecta eſt Creatoris; Mater, inquam, non dimidiata ſed integra, hoc eſt Mater ſimul & Nutrix, &c. Pro inobedientia enim, obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.

S. Iren. aduerſ. hæreſ l. 5. c. 19.

S. Epiphan. aduerſ. hæreſ l. 1. hæreſ. 78. poſt medium.

Æqua lance, ait ſanctus Ireneus, Virginalis inobedientia, per Virginalem obedientiam, &c. Et ſanctus Epiphanius, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia; & vnde illata eſt mors, inde proceſſit & vita. Eua cum adhuc eſſet Virgo tranſgreſſa eſt, è contrario per Virginem, obedientiæ gratia factum eſt, &c. Et iterum ſanctus Auguſtinus; Solus, inquit, ſine peccato eſt natus, quem ſine virili complexu non concupiſcentia carnis, ſed obedientia genuit mentis, &c.

Non ergo mirum ſi Chriſtus Ieſus factus eſt obediens vſque ad mortem, &c. Cum eſſet obedientiſſimæ Virginis Filius: ita vt dicere poſſet, ab infantia creuit mecum obedientia, & de vtero Matris egreſſa eſt mecum. Obedientia Chriſtum concepit, genuit, peperit, lactauit, & educauit, ſalus itaque noſtra ab obedientia Virginis ortum habuit, quam tandem obedien-

obedientia Christi Redemptoris Filij Virginis fœlici consummatione firmauit.

Ad inobedientem Virginem quam dictum est ; Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, &c.) qua quidem Dei sententia, non solum doloribus partus subiecta est, sed & laboriosam filiorum lactationem & educationem acerbissimam suscepit, propter inobedientiam suam, qua peccati auctrix extitit. Itaque peccati auctrix per inobedientiam Eua dolorosum partum, ac laboriosam filiorũ nutritionem à Deo suscepit : Auctrix meriti Maria, per obedientiam de Spiritu sancto concepit sine pudore, peperit sine dolore, & lactauit cœlesti rore, educauitque cum gaudio & exultatione Christum Redemptorem. O fœlix iterum obedientia, ô insignis gratia quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem incorporauit. Absque dubio ergo, Virgo sanctissima, maximè dum Virgineo Virginalium vberum suorum lacte Christum nutriuit, sanctam obedientiam religiosissimè coluit.

A tempore autem, loco, & personis, huius sanctissimæ virtutis excellentiam desumamus. Nullus enim in tota Scriptura mihi videtur locus ab obedientia immunis. Non locus voluptatis in quo posuit Deus hominem quem formauerat, nam ibi lex abstinentiæ cibi vetiti primis parentibus datur, vt ei obediatur, & per obedientiam suo creatori creatura humillimè subiiciatur.

Non desertus locus aut solitudo : nam in deserto horroris, & vastæ solitudinis supra Montem Sinaï Lex Moysi data est, cui obedire & ipse Moyses cum populo tenebatur.

Non Monasteria, & claustra Monachorum; cum Obedientiæ votum primum locum ibi obtineat.

Non regna, & imperia ; ait enim Christus, Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem exercent super eos, &c. Per Ciuitates denique, oppida, Villas, & Castella, Magistratus, & Duces populi, ac Patres familiarum ab omnibus sibi subditis obedientiæ iura exigunt.

Non infernus ipse, in quo ignis materialis per virtutem obedientialem Dæmones, & animas damnatorum cruciat.

Non cœlum etiam, in quo Angeli omnes sunt administra-

torij ſpiritus, in miniſterium Miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, audientes voces ſermonum Dei, & facientes verbum eius, &c.

Nullum quoque tempus in natura legimus ab obedientię legibus immune. Prima enim ſæculi tempora ſub lege naturæ conſtituuntur. Secunda ſub lege ſcripta ſtatuuntur: Et vltima ſub lege gratiæ collocantur. De quibus omnibus, ait Chriſtus; non eſt veſtrum noſce tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate; poteſtatis ergo diuinæ legibus omnia tempora, præterita, præſentia, & futura ſubiiciuntur.

Nulla tandem perſona ab obedientiæ iuribus eximitur Omnes namque Prophetæ, Patriarchæ, & populi veteris teſtamenti, vel ſub lege naturæ, vel ſub lege ſcripta vixerunt, & Apoſtolus gentium, ait; Gentes legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, & naturaliter quæ legis ſunt facientes, oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis; teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, &c. Apoſtoli omnes, Martyres, Confeſſores, Virgines, & populi Chriſtiani ſub lege gratiæ viuentes obediunt Euangelio, nulluſque mortalium ſtatus inuenitur, qui quibuſdam legibus non ſubiiciatur.

Chriſtus ipſe factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, &c.

Ergo non mirum ſi Deipara Virgo tanto ſtudio, tantaque Religione & pietate obedientiam coluit. Obedientia enim concepit, dum Angelo conſentiens ait; Fiat mihi, &c. Obedientia peperit, dum Edicto Cæſaris Auguſti obediens in Bethlehem venit. Obedientia lactauit, nutriuit, & pauit Filium ſuum dum vt obediret legi vſque ad diem purificationis ſolo vbere de cœlo pleno lactans, in ſtabulo manſit. Obedientiâ in Templo Chriſtum obtulit; Obedientia quinque ſiclis redemit; Obedientia par turturum aut duos pullos Columbarum obtulit; Obedientia in Ægyptum portauit; Obedientia ibi vſque ad obitum Herodis manſit, & in his beatiſſimi Saluatoris lacteæ educationis temporibus religioſiſſimè obedientiam coluit.

Obedientiâ denique in Iudæam reuerſa eſt; obedientiâ

apud Nazareth mansit, obedientiámque Religiosissimam vsque ad mortem sanctissimè obseruauit.

Continuatio & extensio Capitis.

NVllum igitur tempus, nullus locus, nulláque persona ab obedientiæ legibus eximitur: Immò nec animal vllum; Dicitur enim, Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis terræ, &c. Nec etiam diabolus ipse; Cum enim audiuit à Christo in deserto; Vade, Sathana, scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum, quasi iubenti, & Scripturæ simul iussa exequi paratus, obediuit. Citò enim reliquit Christum, & accesserunt Angeli & ministrabant ei: Itaque in natura, si quis inobediens inueniatur, meritò omnibus hominibus, bestiis, ac animalibus, & diabolo ipso peior censebitur.

Exindè Scriptura sacra, quasi peccatum hariolandi est, inquit, repugnare, & quasi scel⁹ idololatriæ nolle acquiescere. Inter crimina autem pessima, quibus homines flagitiosi, & sceleratissimi cum dæmonibus commune commercium habent, peccatum hariolandi, & scelus idololatriæ primum locum obtinent; quo indicio pessimum crimen esse inobedientia satis apertè declaratum est.

Obedientia Ioseph Patriarchæ notatur in hoc, quod, dicente Patre; Veni, & mittam te ad Fratres tuos, &c. Citò respondit; Præsto sum. Et ipse accusauit Fratres suos apud Patrem suum crimine pessimo: Et quia erat obedientissimus, plus cunctis à Patre diligebatur; propter quòd oderant eum Fratres sui, nec poterant ei quidquam pacificè loqui, vt ait Scriptura.

Caïn ex maligno erat, vt inquit Iacobus Apostolus: ipse primus hominum à Deo maledictionis Dei fulgure percussus est, qui primus domum Paternam egressus in qua præcepta à Patre, & à natura ipsa, Deo & parentibus obediendi, ac fratrem diligendi didicerat, cuncta contemnens, dixit fratri, egrediamur foras. Abel verò qui non solum patri, sed & primogenito fratri parere semper vt obedientissimus paratus

extitit: egressus est cum eo, cumque essent in agro, consurrexit Caïn aduersus Abel fratrem suum, & occidit eum. O flagitium! ô sceleratissimum crimen! ô nefandum scelus!

Iure, in fine sæculorum pugnabit orbis, vt ait Christus, contra insensatos, id est contra inobedientes; mundus namque obedientia in creatione vniuersi suum esse accepit, quando verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Vnde in virtute obedientiali omnes creaturæ sui esse conseruationem se à Deo possidere gloriantur.

Obedientia mari num notatur à Propheta, his verbis, terminum posuisti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram, &c.

Sol stetit ad vocem Iosue donec vlcisceretur se & gentem de inimicis suis. Ignis in camino ardenti non tetigit, nec quidem capillum capitis trium puerorum: Ad imperium Christi facta est tranquilitas magna in mari, quia venti & mare obediũtunt ei. Obediens terra aperta est, & deglutiuit Coré, Dathan, & Abiron. Obediens infernus reddidit quos captiuos retinebat, quando captiuam duxit Christus captiuitatem, &c. Quid plura?

Nihilum aperiens sinum suum, extitit obediens, obedientimque coluit, quando Deus ex nihilo cuncta verbo creauit. Vnde, contra omnem Philosophiam, quæ prius res in esse quam in operari constituit, hoc maximum habemus à Deo obedientiæ miraculum quod à nihilo per obedientiam ad esse, creaturæ transeuntes, prius in illis obedientiam quam ipsum esse attendimus, quando antequam essent obedierunt vt essent.

Obediuit terra iubenti Deo, & dicenti producat terra herbam virentem & facientem fructum, lignumque pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, &c. Poterat respondere terra, careo semine, non habeo aratorem, sed subito obediens protulit, &c.

Ita de aquis: vt enim iussit Dominus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram: & subito aquę ipsę obedientiã coluere. Produxerunt enim cœte grandia,

& pisces, & volatilia, &c.

In Euangelio habemus; Quod homo ille qui fecit Cœnam magnam, & vocauit multos, renuentibus pluribus venire iussit vocari cœcos, & claudos, ac debiles: Et compelle, ait Seruo vocanti, intrare vt impleatur domus mea. Quomodo cœci ianuam palatij inuenient? Quomodo debiles & infirmi, ac languidi accedere poterunt? Quomodo claudi ambulabunt? Verumtamen cuncti obediunt, & impletur domus: sufficit verbum imperantis, vt appareat virtus obedientis.

Simile huic proditur testimonium Euangelij, dum dicitur; Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem deserti prædicans baptismum pœnitentiæ, &c. Quis audiet Ioannem prædicantem in deserto vbi nullus est auditor; nonne debebat mitti potius ad Ciuitates, oppida, Villas, & Castella? Verumtamen, quia sufficit verbum imperantis, citò apparuit virtus Ioannis obedientis, & factum est miraculum; nam veniebat ad eum, ait Scriptura, Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, &c. Et absque alio, quam sanctæ Ioannis obedientiæ miraculo, omnes credebant per illum, conuertebantur, confitebantur peccata sua, & baptisabantur.

Post tot ac tanta virtutis obedientiæ prodigia, ac miracula, meritò, in Conclusione huius Capituli, miraculum miraculorum, per obedientiam sanctissimæ Virginis factum adeo, in veneratione singulari habebimus. Quandoquidem, vt ex Augustino iam antea dictum est, Christum Redemptorem, non concupiscentia carnis, sed obedientia genuit mentis; qua quidem generatione, restaurata sunt omnia quæ in cœlis & quæ in terris prius extitere creata.

Conclusio Capitis, continuationisque & extensionis eiusdem.

PER verbum istud Dei imperantis, fiat, omnia creata sunt, & per verbum istud Virginis obedientis, fiat, quo verbum caro factum est, &c. Omnia reparata, repurgata, & restaurata sunt: At Verbi incarnatio, & per illam reparatio, & repurgatio, seu omnium restauratio, maximè peccatorum conuersio, & iustificatio maius miraculum est, quam vniuersi creatio; ergo secundum, Fiat, potioris videtur esse virtutis quam primum.

Quantum ad conuersionem & iustificationem peccatoris; Clarum est, quia, Primò, quantum ad generationem, & corruptionem, cœlum & terra transibunt, anima autem rationalis manet in æternum.

Secundò, quia opus creationis vniuersi est ordinatum pro bono mutabili naturæ, sed opus iustificationis pro bono æterno gratiæ & gloriæ.

3. Quia vnica solaq; in creatione vniuersi, Dei videlicet voluntas attenditur, omnia enim tunc quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra. Sed ibi dicitur, vis sanus fieri? Vnde Augustinus qui fecit te sine te, non saluabit te sine te, &c.

4. Quia in creatione, à nihilo ad simplex esse naturæ vocatur creatura. Sed ibi, à peccato, quod est nihilo minus, peius, & vilius, ad altissimum, & nobilissimum esse gratiæ, & ab extremo hoc, ad extremum illud per talia nobilia, ac tanta, & tam varia media progreditur; Per ipsam videlicet Verbi incarnationem, per passionem eius, per miracula, per sacramenta, per flagella, per prædicationes, per castigationes, & alias tam ineffabiles ac inuestigabiles Dei sapientiæ vias, vt exclamans dicat Apostolus; O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! &c.

5. Tandem, quia opus creationis omnipotentiæ opus est,

iustificatio vero, & conuersio, repurgatio, reparatio, & restauratio peccatoris, est opus misericordiæ Dei, misericordia autem eius super omnia opera eius, ait Scriptura; Et melior est misericordia tua super vitas. Vnde Emissenus; Meliores sunt (inquit) dies quibus ad vitam æternam renascimur, quam illi quibus in vitæ huius pericula nascendo producimur. Ad hæc aptissimè quæ de Saül & Dauid decem millia, omnipotentiæ & misericordiæ Dei attribuuntur, Saül namque potentissimus Rex omnipotentiam designat: Dauid vero misericordiæ symbolum gerit, vt sciamus decem millia misericordiæ in iustificatione peccatoris tribuere, si omnipotentiæ in creatione vniuersi millia laudum præconia concedamus.

Vnde etiam, vt annotauere Doctores, non legimus Christum in Cruce pendentem, mortuos suscitasse, cœcos illuminasse, infirmos sanasse, aliaque miracula edidisse, quibus in vita sua solebat intuentium oculos in admirationem attrahere. Quia nimirum tunc omnipotentia locum cedens misericordiæ, misericordia ipsa sola coronata, regnare, & imperare cernebatur in iustificatione latronis cui dicitur; Hodie mecum eris in Paradiso, &c: Et in conuersione Centurionis, & aliorum qui percutientes pectora sua reuertebantur dicentes, verè hic homo Filius Dei erat, &c.

Ecce ergo quantum valuit obedientissimæ Virginis Deiparæ Verbum, quando dixit; Fiat mihi, &c. Tunc enim in ea miraculum miraculorum operatum est, quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ac paulò post, in Natiuitate videlicet, & lactatione seu nutritione, totóque tempore huius lacteæ educationis, vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, non tantum à Patre plenum gratiæ & veritatis, sed & à Matre plenum misericordiæ & pietatis. Apparuit namque benignitas & humanitas Saluatoris Dei tunc, quando paruo lacte pastus est per quem nec ales esurit, & ex obedientissima Matre obediens pro nobis factus est vsque ad mortem, &c. Iugiter autem Virgo ipsa benedicta vigilans & attenta super dilecti Filij custodia, ne in minimo defectum pateretur, quomodo Religiosissimè obediens etiam coluerit suprà dictum est satis.

by Google

DE SVMMA SANCTISSIMÆ Virginis Deiparæ humilitate, quam lactando maximè & educando Saluatorem summa quoque Religione coluit.

CAPVT IV.

RESPEXIT humilitatem ancillæ suæ, ait Virgo Deipara; Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Beatam itaque Virginem ipsam proprio sui ipsius testimonio dicimus, non tantũ propter fidem quâ credendo concepit, ac Christum Redemptorem castis suscepit visceribus, nec tantum propter obedientiam quâ illum genuit, sed etiam propter summam illam humilitatem, qua cum esset paruula in oculis suis, placuit altissimo, & de suis visceribus quem genuit, sacris quoque ac Virgineis vberibus ipsis suis aluit, mammauit, nutriuit, lactauit, nutriuit, & educauit Deum & hominem. Vnde sanctus Bernardus: Vnde tibi, ait, tanta humilitas, ô Beata? digna planè quam respiceret Dominus, cuius odore suauissimo, ab æterno illo Paterni sinus attraheretur accubitu, &c. Et iterum, Humiliata est, inquit, præ omnibus, quapropter facta est nouissima prima, & quia cum prima esset omnium se nouissimam reputabat; vndè meritò, facta est omnium Domina, quæ se exhibebat ancillam.

Exindè fons & origo omnium gratiarum scaturire cerniter in Virgine gloriosa: dicitur enim Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Exindéque omnium celsitudinis dignitatum excellentia oritur; quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

Exindè

Exinde Spiritus Sanctus superueniens in ea habitauit, ac super eam requieuit. De quo habetur, super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem corde? Peritissimus pictor, qui pro artis Canone Columbam super erectam, & eleuatam tritici spicam depictam proposuerat, reiectus est, quandoquidem super inclinatam parumper depingi debuit spicam. Spiritus ad ad hęc Sanctus qui pluries in Columbæ Specie visus est, & super Christum in baptismate sicut Columba descendit, erectas & exaltatas, ac eleuatas animas, hoc est, superbas mentes despicit, & odit, inclinatas vero, & humiles diligit, amplexatur, & gratia sua ditat atque exornat. Vnde ad sanctissimam Virginem dicitur, Spiritus-Sanctus superueniet in te, &c. Et ipsa, respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, &c. Exaltatur ergo, quia humiliauit se, erigitur, quia inclinauit se. Ascendit vsque ad summam Matris Dei integræ & perfectæ dignitatem, quia descendit vsque ad infimam sui ipsius paruitatem & nihilitatem dum ait, ecce ancilla, &c.

Ascendere proprium est Diaboli, qui à principio dixit in Cœlum ascendam, super Astra Dei exaltabo solium meum, &c. Descendere proprium est Christi, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Diabolus inde est Rex & caput, super omnes filios superbiæ, Christus vero qui exinaniuit semetipsum, & humiliauit, formam serui accipiens, ait, discite à me quia mitis sum & humilis corde, humilia respicit, & alta de longe cognoscit, respexit humilitatem Virginis gloriosæ, & illam in Matrem elegit, ac humillimæ Mariæ filius, fieri non dedignatus est qui vnigenitus Patris erat.

Vnde tibi tanta humilitas, ô beata? exinde sanè, quia in nidulo permansisti & paruula in oculis tuis extitisti; vnde placuisti altissimo, & de tuis visceribus genuisti qnem & sacris vberibus, vt integra & non dimidiata Mater eius aluisti Deum & hominem.

Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, suntque tutissimi tunc; quod si foras egredi à venatoribus co-

gantur summis periculis exponuntur. Sic apud se manens Ioannes Baptista non sum dignus, ait, corrigiam calceamentorum soluere: hæc loquutus est cum inquireretur an esset Elias, aut Propheta, aut Christus. Ita quoque Virgo humillima se ancillam asserit, dum in Matrem eligitur Dei, ecce inquit ancilla Domini, &c. Hæc est via Sanctorum tutissima, quâ itur ad astra; vnde Iob, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Quasi palma ergo exaltata est Deipara quæ in nidulo suo elegit manere.

Ruth colligendo spicas post terga metentium, sequens Messorum vestigia, iacensque ad pedes Boos, & dicens: Ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum super famulam tuam quia propinquus es, sponsa eius facta est. Ad pedes ita Domini humillima Virgo iacuit, & se ancillam ac famulam esse testata est, dicens: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum, &c. Non ergo mirum si subitò, & in ipso instanti, pallio Spiritus-Sancti cooperta, id est, eius virtute obumbata, eius sponsa efficitur, Mater Domini integra & perfecta facta est.

Eritis sicut dij, ait serpens ad mulierem. Inaudita Diabolicæ fraudis tentatio! Diis namque templa edificantur, Altaria construuntur, thura & sacrificia offeruntur, Dij, primi, & supremi sunt, nullis subiacent, omnibus præsunt, vbique dominantur, eritis sicut. Per hanc superbiæ tentationem Diabolus ipse princeps huius mundi factus est: Christus autem filius humillimæ Virginis in hoc apparuit, vt dissoluat opera Diaboli. Itaque ex humillima Matre humilis in terra visus est, & cum hominibus humilibus humiliter conuersatus est: Et sicut superbiam prima mulier auctrix peccati Diabolum in mundum introduxit, secunda mulier benedicta per humilitatem auctrix meriti filium Dei ad nos attraxit, Mater Dei effecta est, ac mediatrix filij sui & hominum, in salutem peccatorum euasit. Et licet in omnibus semper humilitate præfulserit, & præsertim tempore, (vt infra patebit) quo se ad altissimam Matris Dei dignitatem ascendisse cognouit, humilitatem

coluit, lactando videlicet, vt nutrix, & educando vt gubernatrix, quem genuerat Redemptorem. Vnde Seraphicus Doctor, cum quanta inquit reuerentia & humilitate illum contrectabat, quem Deum suum esse sciebat? Flexis genibus accipiebat eum de cunis, lactabat, & reponebat in iis. Et Sanctus Anselmus, verum ait, dum Deum paruulum effectum, inter manus versari, & ad vbera sua pendere conspiceret, quo precor humilitatis affectu mouebatur animus eius? &c.

Mirabiles reuerà elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus: videtur mare elationibus suis totum Mundum superare, & ipsum diluuio adhuc generali, minori veruntamen, omnes elationes ipsæ ad arenam inclinantur, nec vltra progrediuntur, & in hoc mirabilis est in altis Dominus, qui terminum posuit illis quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. Omnia flumina intrauerunt in Mariam Deiparam: mirabiles sanè summæ Matris Dei dignitatis celsitudines, sed cunctæ ad eius humilitatem inclinantur, illam velut honore venerantes; *Ecce*, ait, *Angelus*, concipies in vtero & paries filium, &c. *Ecce*, ait *ipsa*, *ancilla Domini*, &c. Sed dum se Matrem integram & perfectam animaduertit, flexis genibus humilitate præfulgens, accipiebat eum de cunis, lactabat, & reponebat in iis.

Eextensio & continuatio Capitis.

LActando, & Virgineo Virginalium vberum suorum Lacte educando Saluatorem, humilitatem summopere coluit. Beatissima virgo continuè, ait Sanctus Bernardinus Senensis, habebat relationem ad diuinam majestatem, & ad suam nihilitatem. Et sicut nulla post filium Dei creatura tantum ascendit in abyssum humilitatis profundæ. *S. Bernard. Senens.*

Sed placet mihi magnopere, quod ait Dionysius Carthusianus, in libro, inquit, tunc sapientiæ suæ alta Dei contemplabatur assiduè, & in libro scientiæ suæ abyssum propriæ nihilitatis.

Reuerà humillima Virgo lactando Saluatorem, in libro sa-

Digitized by Google

pientiæ suæ alta Dei, hoc est diuinitatis Christi contemplabatur assiduè. Nempe ea quæ de summa maternitatis eius dignitate Tractatulo primo descripsimus, præsertim ea quæ capite primo habentur.

Alta quoque eiusdem beatissimi Saluatoris, ex sua ipsa assumptæ humanitatis humillima mente sed & attentissima meditatione contemplabatur. Videlicet quomodo tanquam per instrumentum diuinitatis, tam magna, & mira ac miranda prorsus, Deus ipse operari dignabatur.

Ex quo namque verbum caro factum est, maiora & mirabiliora per sacram ipsam Verbi humanitatem opera, quam immediatè per seipsum antea operari solebat, operatus est, vt ex quibusdam sacræ scripturæ testimoniis colligere licet.

Verbo facta sunt omnia; ipse enim, vt dictum est supra, dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: Et si mirabile visum est, in ipso primo Chaos, in ipsa prima materia, lucem cum tenebris, frigidum & calidum, siccum & humidum, ac tum varia & contraria elementa simul habitare; mirabilius sanè extitit, in Christo ex assumpta humanitate quod Deus factus sit homo, æternus, temporalis, immensus, paruus, Verbum infans, creator, creatura, & Virginitas ipsa in Maria, cum maternitate coniuncta sit.

Verbo Dei & aquas fluminis in sanguinẽ, & virgam in Serpentem transmutare magnum miraculum; sed Verbo verbi incarnati in Euchatistia trãssubstantiationis miraculũ. Quãtum ad spiritualia, legimus primũ hominem flatu Dei in spiritum viuificantem effectum, insufflauit enim & factus est & homo in animam viuentem; & hoc mirabile: sed flatu Verbi incarnati Spiritum sanctum omni alio spiritu meliorem tribuere, mirabilius est. Insufflauit autem Christus, & ait, accipite Spiritum Sanctum, &c.

De Spiritu sancto ipso, dicitur, quod in principio vniuersi, ferebatur super aquas; hoc est, vt alius textus habet, incubabat aquis, velut suo calore vim, virtutemque aquis tribuens producendi pisces, & volatilia, &c. Sed omnimodè verbum incarnatum potiorem aquis tribuit

virtutem tactu suæ sacratissimæ humanitatis in baptismo suo, tactus namque, vt ait Sanctus Cyrillus, mundissimæ carnis, virtutem regenerandi contulit aquis, regenerantur enim in aquis ad salutem per sacrum baptisma animæ Christianorum.

Tandem, Baptista ipse & sanctissimus præcursor Domini suam missionem immediatè ab ea accepit, dicitur enim, fuit homo missus à Deo, &c. Sed nobilior per omnia cernitur missio Apostolorum Christo, Ioannes namque virtute suæ missionis nulla miracula operabatur, nec eius baptisma remittebat peccata, &c. At Christus mittens suos, euntes (inquit) in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt, &c.

Et hæc sunt sacratissimæ Christi humanitatis alta, quæ in libro sapientiæ suæ humillima Virgo lactando, & lactè suo enutriendo Saluatorem ipsum, contemplabatur.

In libro quoque scientiæ suæ vsque ad abyssum propriæ nihilitatis descendens, quis es tu Domine Deus meus, aiebat, & quæ ego? Nouerim te, nouerim me. Ego ne Virgo illa tantis sæculis expectata, prædicata, desiderata, prophetata, & à me ipsa toties in salutem generis humani adeò precibus & votis postulata? O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt opera eius, & inuestigabiles viæ eius, respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Conclusio Capitis continuationisque & extensionis eiusdem.

Eccl.3.c.20. QVanto magnus es, humilia te in omnibus (ait Spiritus Sanctus) hoc autem Consilium diuinumque oraculum Spiritus Sancti, inter omnes puras creaturas opere compleuit humillima Virgo Deipara, eo tempore maximè, quo se sub Deo maiorem omnium Creaturarum vidit, quo inquam Matrem Dei veram, non dimidiatam, neque partitam, aut diuisam, sed integram, & perfectam hoc est Matrem simul & nutricem ac Gubernatricem animaduertit, gaudiáque vera, integra & perfecta, veræ, integræ & perfectæ Matris habentem cum Virginitatis honore se possidere conspexit, quibus reuerà, vt ait Ecclesia, nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Eo sanè tempore, humiliauit se in omnibus, vnde vt sæpius dictum est, ministeria suæ integræ & perfectę Maternitatis, flexis genibus accipiens Christum de cunis, sinu illum excipiens, vbere lactans, pectore fouens, brachiis amplexans, ore deosculans, ac castissimis blanditiis deliniens summa humilitate exercebat.

Placens Deo facta est dilecta, & cum esset paruula in oculis suis placuit altissimo. O sancta & benedicta sanctæ Matris Dei humilitas! quibus te laudibus efferam nescio.

Tres nuntij venerunt ad Iob bonorum suorum ac prorsus substantiæ temporalis spoliationem nuntiantes, qui nihil respondit, parui pendens quod temporalia perdidisset; sed quarto adueniente, & mortem filiorum filiarumque suarum annuntiante his verbis, filiis tuis & filiabus vescentibus in domo fratris sui primogeniti, &c. Tunc scidit vestimenta sua, & tonso Capite, corruit in terram, &c. Mysterium hoc attendamus: Angelus in ordine creationis primogenitus noster est, ipse autem per superbiam cecidit; quid est igitur in domo primogeniti edere, bibere, & mori, nisi eadem qua se contra Deum superbia erexit, erigi, & quo ille peccato periit similiter peccare? Propter hoc eri-

tis ait ad mulierem sicut Dij, &c. Et simili casu cecidit homo, in domo primogeniti omnes periimus.

Cum autem contreria contrariis curentur, conuenientissimè primæ mulieris elationi, superbiæ, ac vanitati, secundæ id est Virginis Deiparæ humilitatem Deus opposuit: per primæ superbiam omnes nos in domo Diaboli mortui eramus, per secundæ humilitatem factus est Christus frater noster, & primogenitus in multis fratribus, primogenitus mortuorũ, & princeps regum terræ, qui in hoc apparuit vt dissoluat opera Diaboli, & in cuius domo omnes reuiximus. Per primæ mulieris elationem, primi ac terreni hominis imaginem portauimus, per secundæ huius inter omnes mulieres benedictæ Virginis humilitatem, portauimus imaginem secundi & cœlestis, hoc est Christi. O sancta & benedicta sanctissimæ Matris Dei humilitas, per quam talia ac tanta gratiarum dona, donorumque beneficia accepimus!

Per Superbiam Angelus Diabolus factus est: Et Christus, de Discipulo in cuius cor intrauerat ait, nonne duodecim elegi vos, & vnus vestrum Diabolus est? eo enim per superbiam deuenerat Iudas, vt horrendo contemptu despiceret Christum, quem vendere proposuerat. Et quodam occulto ibi mysterio notatur, quod subitò tunc facta est contentio inter Discipulos quis eorum videretur esse maior, quasi hac industria vti vellent quidam illorum, ad detegendum discipulum Diabolum per imitationem effectum. Diabolus namque semper ascendere vult, & maiora ac altiora possidere contendit honorum, ac dignitatum culmina.

Vnde velut alter Herodias non pedes, non brachia, non manus, non cor, sed caput petit; da mihi caput: quo indicio, videmus illum præcellentes honoribus, præsidentes, ac superioritate fulgentes homines inter cæteros petere. Da mihi, inquit, caput, capite namque dolente cætera mẽbra dolent. Et nisi se benè gesserint qui cæteris præsunt, vnusquisque illorum bolus Diaboli est. Quanto ergo vt ait quantò Scriptura, quis est magnus, tãtò humilis debet esse: Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt dono-

rum: Et non solum humilior, sed etiam ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse ex munere quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione.

Propter hoc, nunquam legimus Spiritum Sanctum, cum examine Apum Ecclesiam Dei comparasse, quia caput, & princeps non egreditur alueum, sed labore aliorũ vescitur, non enim conficit mel, nec coram, nec vllis se vnquam exponit periculis, non dat animam suam pro suis, quoniam spiculo caret, nec habet arma quibus aut offendere aliquem, aut seipsum deffendere possit. Qui autem in Ecclesia vel domo Dei præest, exemplo suo debet quemcumque sibi subditum ad virtutis certamen, & ad omnia quæ ad statum spectant Religionis, virtutis, ac pietatis animare.

Vnde Christus discipulis ad dexteram & sinistram regni sui, hoc est Ecclesiæ suæ sedere poscentibus, iuxta illud, dic vt sedeant hi duo, &c. Nescitis ait, quid petatis. Apostoli namque capita Ecclesiarum destinati, Prælati, præsules, & præfecti sedere non debent, hoc est quiescere dum cæteri subditi laborant, sed & ipsi laboribus indefessi, vt pastores boni animas suas pro grege suo dare debẽt. Vę illis qui dicunt se Prælotos esse constitutos ad imperandum, ad iubendum, & continuam dominationem exercendum, & non ad laborandum: Et veniat super illos omnis maledictio Propheta, & ab Apostolo descripta, &c.

Petrus inde existimabat se visum videre, & nesciebat quia verum est quod per Angelum fieret, quando solutis vinculis ab Angelo ereptus est de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum, quia vt ait Scriptura, erat ipsa nocte dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, &c. Sciebat autem quod Prælatis Ecclesiasticis, ac præsulibus, præfectis & superioribus dormientibus, non solet Deus Angelos suos mittere, & miracula in gratiam ipsorum operari. Hoc rarum est, debent enim semper Pastores vigilare, & vigilias custodire supra gregem suum. Ergo vt paucis contrahamus, & multo plura hoc vnico verbo concludamus, Pastor Pastorum & Episcopus animarum nostrarum Iesus-Christus bonus, inquam, Pastor, qui animam

mam suam posuit pro ouibus suis, cœpit prius facere, deinde docere; Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis, & vniuersorum Creator, qui verbo omnia creauit, quando hominem primum, omnium cæterorum caput & præsulem condidit, non verbo solùm, sed opere, & facto vsus est. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram vt præsit, &c. Vt discamus, quia debent Præsidentes, Præsules, & Prælati facere, &c. Quanto ergo magnus es, humilia te in omnibus, ait Spiritus sanctus. Sanctissima itaque Virgo Deipara, qua maior sub Deo nequit intelligi, humiliauit se in omnibus, eo præsertim tempore, quo se non solùm, vt dictum est supra, magnam, sed sub Deo maiorem agnouit; Matrem scilicet, Nutricémque, ac Gubernatricem Verbi, simul & Virginem.

Ad illius imitationem, humilitatem sectantes, eius amplectamur vestigia, & deuotissima eiusdem humilitatis imitatione, pedibus beatis illius prouoluamur, & vt cum Diuo Bernardo loquamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, &c. Humiliemus illi animas nostras, humiliemur sub potenti manu eius, vt nos exaltet in die Visitationis.

Velis, frater, nolis, humiliaberis, si saluus fieri volueris, sicut antiquitus Episcopis sanctis, Episcopatus fugientibus, & semper respondentibus nolo, cum diceretur illis, vis Episcopari? Tandem, quantuncúmque reluctanti dicebatur, velis nolis, Episcoparis.

Solet autem Deus humiliare electos multipliciter, penuria & egestate humiliauit adolescentiorem prodigum, Qui cœpit egere, & pascens porcos in se reuersus ait: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus; Ego autem hic fame pereo; surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis. O humilitas sancta! qua proprius se Filius, seruum & mercenarium reputat.

Humiliauit item Deus Ezechiam, qui domum Regiam,

Digitized by Google

& thesauros suos Babiloniorum Regis legatis ostenderat, per ægritudinis molestiam acerbam; ægrotauit enim Ezechias vsque ad mortem, &c.

Humiliauit Magdalenam per corporalem à Dæmone possessionem, de qua Dominus eiecit septem Dæmonia, &c.

Humiliauit Paulum per cæcitatem, & per prostrationem, &c.

Humiliare solet quosdam superbos & elatos, tolerando eorum in varia turpitudinis ac libidinis vitia casum. Vnde Augustinus, audeo dicere, superbis vtile esse cadere in apertum aliquod manifestúmque carnis peccatum, vt iam sibi displiceant, vnde sibi nimium placendo ceciderant. Sicut & de eodem Augustino legimus. Et de aliis multis.

Humiliauit Manassem Regem Israël per captiuitatem, & vincula & carcerem, qui tandem humiliatus sic orabat. Peccaui super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum, &c.

Ergo humiliabitur velit nolit, qui saluus fieri voluerit. Quoniam Iesus Christus humillimæ Virginis Filius, ab ea lactatus & educatus, humiliauit semetipsum, formam serui accipiens. Et ait, nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnum Cœlorum. Et hæc paucis multa contrahendo, de humilitate quam coluit sapientissima Virgo temporibus maximè lacteæ educationis Saluatoris; quamque ad eius imitationem sectari debemus, pro animi nostri exiguitate dicta sufficiant.

DE RELIGIOSISSIMO, ET admirabili oris silentio, quod toto beatissimi Saluatoris lacteæ educationis tempore religiosissimè coluit religiosissima Virgo Deipara.

CAPVT VII.

DVM medium silentium tenerent omnia, Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit. Hæc à Patribus, de substantiali & æterno æterni Patris sermone intelliguntur. In silentio etenim in beatissima æternitate, Verbum à Patre ante omnem creaturam, & per consequens, nullo tunc adhuc creaturarum audito rumore ac strepitu, generatur.

In silentio item, de Spiritu sancto in tempore ex Maria Virgine concipitur.

In medio noctis silentio apud Bethlehem nascitur.

In silentio ipsâ eadem horâ à Pastoribus inuisitur, & agnoscitur.

A Magis postea summi silentij obseruatóribus adoratur.

A sanctissimo Iosepho, à quo per omnem vitam eius, nullum verbum prodiisse legitur, summum silentium recolente, in Ægyptum deportatur.

Sed & à beatissima Virgine Matre, maximè, eiusdem summi silentij obseruatrice, toto educationis tempore in summo silentio lactatur, mammatur, nutritur, pascitur, alitur, custoditur, regitur, gubernatur, & educatur.

Non ergo paruâ virtute refulsit integra Mater Dei quando toto tempore lacteæ educationis Redemptoris silentium coluit; tunc enim se omnis virtutis, sanctitatis, &

Digitized by Google

perfectiouis cultricem ostendit, cum dicatur, qui verbo non offendit, hic perfectus est vir.

In multis offendimus omnes, ait Iacobus Apostolus; si quis verbo non offendit hic perfectus est vir.

Cum autem Dei perfecta sint opera, fecerat Deus hominem rectum, id est perfectum, & quandiu solus extitit, silentium obseruando in statu perfectionis mansit.

Vnde & Christus ipse, qui omnis perfectionis fuit exemplar; Factus sum, ait, sicut homo sine adiutorio, id est, vt aliquibus placet, sicut homo rectus, iustus, atque perfectus; Homo namque, quandiu sine adiutoris fuit, hoc est, sine muliere, de qua dicitur; Faciamus ei adiutorium simile sibi, &c. in statu rectitudinis, gratiæ, & iustitiæ originalis permansit; tunc enim summum bonum intelligebat, id est, intus legebat, intelligere enim quasi intus legere est; Factus est autem homo, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando frueretur ac possideret. Beata autem semper extitit anima Christi propter fruitionem summi boni. Et sicut Adam in statu descripto, in summi eiusdem boni contemplatione totus versabatur & occupabatur intra se: ita Christus, sed perfectiori modo, nempè per visionem claram diuinæ essentiæ. Adam eo tempore ad extra nemini loquebatur; cum esset sine adiutorio, id est sine muliere, ideo verbo non offendens, perfectus erat vir.

Sed heu, heu! vt datum est illi adiutorium, mulier illa loquuta est cum serpente, verbóque offendit, cum ait; præcepit nobis, &c. Et ne tangeremus illud. Vt enim iam antea diximus non erat prohibitus tactus, sed tantum esus ligni; exindè cœpit ianuam omnium malorum aperire, ideo merito vocatur auctrix peccati: Maria vero Virgo Deipara iure auctrix meriti censetur, quæ verbo non offendit, sed assiduè, maximè temporibus lacteæ educationis Saluatoris, Religiosissimum silentium religiosissimè coluit.

Qui verbo non offendit hic perfectus est vir, ô breuis ad statum perfectionis via; quasi non opus esset ieiuniis, castigationibus, ciliciis, eleemosynis, aliisque sanctis ac

piis operibus, vt quis perfectionem assequatur; si solam linguam custodierit, & verbo non offenderit vir perfectus erit.

Adhæc, idem Apostolus ait, si quis existimat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio; Religio autem est ars colendi Deum; si quis ergo pœnitentiâ, ieiuniis, peregrinationibus, sacramentorum etiam frequentatione, ac aliis deuotionis, & pietatis exercitiis putat se colere Deum non refrenans linguam suam, huius vana est religio. O inaudita planè Apostolicæ sententiæ, sed & verissimæ acerbitas! Spiritus autem sanctus, qui custodit linguam suam, ait, custodit animam suam. Ecce via salutis, quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Ergo custodiat linguam suam qui vult custodire & saluare animam suam. O breuis via salutis!

Lingua, ait Apostolus, ignis est, vniuersitas iniquitatis. Allusionē facit ad publica Gymnasia, quę vocari solent vniuersitates, in quibus docentur omnes artes, & omnes scientiæ, quasi in lingua sit vniuersitas iniquitatis, id est, gymnasium omnium vitiorum, omniumque flagitiorum, iniquitatum, & scelerum, ac criminum pessimorum. Væ nobis, ait sanctus Bernardus, qui spiritum habemus in lingua, & totum proferimus, & vndique effluimus, nihilque boni retinemus, omni virtute vacui, & omni iniquitate repleti. Non ergo mirum, si sancta, perfecta, & immaculata Virgo quæ verbo non offendit, & Religiosissimum silentium temporibus lacteæ educationis Saluatoris religiosissimè coluit, hanc sanctitatis perfectionem adepta est, quam capite de eiusdem sanctitate, descripsimus.

Extensio & continuatio Capitis.

MAgnum aliquid de Christi innocentia, immaculatæque vitæ puritate ac sanctitate, Petrus Apostolus se dixisse Iudæis existimauit. Cum ait, qui peccatum non

fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Non enim san-ctitatem Christi, vt plurimi annotauere Doctores, à miraculis, à Concionibus, à regali progenie, à diuinitatis plenitudine, ab excellentia sacratissimæ humanitatis; à quadragesimali ieiunio, ab assiduis orationibus, cum esset sæpius pernoctans in oratione Dei, à Sapientia, à doctrina, & aliis virtutibus quæ in Christo relucebant, sed solum ab oris impeccabilitate comprobare contendit; Non est, inquit, inuentus dolus in ore eius. Qui enim verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Insuper, dictum est Petro: Tu Galilæus es, nam & loquela tua manifestum te facit, lingua ergo manifestum vnumquemque facit, si sit iustus aut peccator, si pius aut impius, si ex Deo, an ex Diabolo, à lingua dignoscitur. Vnde Isaias Propheta à voce clamantium Seraphinorum Seraphim esse cognouit. Duo, ait, Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ex hoc didicimus secernere malos à bonis, & reprobos ab electis. Animæ namque Seraphicæ semper de sanctitate Dei loquuntur, hoc est, in omnibus didiscerunt Deum laudare, benedicere & sanctificare. Diabolicæ vero, Deum iugiter ore & proximum offendere. Ita vt vnumquemque loquela manifestum faciat.

De Deipara autem & sancto Ioseph dicitur, quod erant mirantes super his quæ dicebantur de Christo, sed nullum oris verbum ab eis prolatum legimus. Vnde sanctus Bernardus; Maria, ait, omnia quę audiebat conseruabat in corde suo; fuit enim velox ad audiendum, & tarda ad loquendum: Toties audiuit filium turbas in parabolis alloquentem, discipulis mysteria reuelantem; vidit illum miracula facientem; vidit in cruce pendentem, expirantem, resurgentem, ac in cœlos ascendentem. In his omnibus verecundæ Virginis non auditur vox, &c. Hæc sanctus Bernardus.

Venerabilis quoque Beda; imitemur, inquit, fratres piam Matrem Domini seruantem omnia verba, & acta Saluatoris nostri, horum meditatione diurna & nocturna, impor-

tunos cogitationum nocentium repellamus incursus, horum crebra consideratione nos, & proximos à fabulis superuacuis, & maledictis detractionum colloquiis castigare, & ad diuinæ laudis frequentias accendere curemus, &c.

Flagelli linguæ nocumenta non sentiit Virgo benedicta, quam beatam prædicauere semper omnes generationes. Et quæ verbo non offendit. Ideo perfecta mulier, perfecta Virgo, perfectáque Dei Mater semper extitit, vnde fœlix & omni laude dignissima reputatur.

Diues epulo nocumenta peruersæ linguæ suæ sentiebat in inferno qui dicebat, pater Abraham mitte ad me Lazarum, vt intingat extremũdigiti sui in aquam & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, cruciatur per totum corpus & animam, qui de sola lingua conqueritur, & solius linguæ non valet ferre supplicium. Non de pedibus, manibus, oculis, brachiis, cruribus, verendis partibus, nec de capite aut corde conqueritur, sed de sola lingua, quia vt ait Apostolus Iacobus, lingua sola inflammat totum corpus, inflammata à gehenna si curetur lingua, & sana existat, cessabit infernus. Ergo meritò tota sancta, & in anima & corpore Virgo Deipara cuius lingua fuit benedicta, quæ verbo non offendit, & tanto studio per totius vitæ tempus silentium obseruauit, vt per septuaginta duos annos quinquies illam solummodò loquutam reperiamus. Benedictum exinde os eius, benedicti pedes, benedicta brachia, beatus venter illius, beata vbera eius, beata, inquam, & benedicta in æternum iterum atque iterum, de qua dicit Spiritus sanctus; Tota pulchra es, & macula non est in te. Lingua malorum maculat totum corpus, & Virgo nostra immaculata prædicatur meritò, quia velox ad audiendum, & tarda ad loquendum Religiosissimum silentium religiosissimè coluit.

Conclusio Capitis continuationisque & extensionis eiusdem.

FLagelli plaga, ait Scriptura, liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam. Ibi describit Spiritus sanctus, bellorum omnium malis, & rotæ etiam, cuius omnia corporis ossa comminuuntur, supplicio, peiora esse mala, huiusque supplicium linguæ reputari. Sed ea quæ sequuntur notanda valde veniunt.

Lingua tertia, ait, multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates diuitum destruxit, vrbes muratas & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.

Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Beatus est, qui tectus à lingua nequam, iugum enim illius ferreum est, & vinculum æreum est. Mors illius nequissima, & vtilis potius infernus quam illa.

Omnia mala hęc, per singula deberent exponi, & applicari, sed ob breuitatis gratiam vltimam tantum sententię huius particulam attendamus. Vtilis potius, ait, infernus quam lingua nequam, quæ lingua tertia appellatur. Prima lingua Dei est: 2. Angelorum: 3. Hominum. Deus ipse solus, se solum, dignis laudibus, omni laude dignus offert. Angeli quoque qui non cessant clamare quotidie sanctus, sanctus, sanctus, &c. perpetuo laudibus diuinis incumbunt. Sed lingua hominum minus inferno vtilis reputatur.

Infernus namque non nocet Deo, neque Deiparæ, nec Angelis, nec beatis illis qui in Cœlo habitant, sed de hominibus dicitur, aperuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Deus ipse conqueritur dicens; Iugiter tota die nomen meum blasphematur: Quantum Deiparę maledicta lingua impiissimi Nestorij hæresiarchæ nocuit, qua Matris Dei prętogatiuæ gloriam ab ipsa Virgine benedicta auferre conatus est, sacrę Ecclesiasticę annales

nales testantur. Quantumque sanctis cœlestis patriæ ciuibus Lutheri, Caluini, & aliorum hæresiarcharum, linguæ nocuere satis liquido constat, vnde Apocalypsi 13. habetur, & aperuit bestia, os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.

Infernus non nocet hominibus in hac vita degentibus, sed iis solum qui sunt in termino suppliciorum æternorum, viuis vero & mortuis nocet lingua hominis viatoris.

Infernus solis animabus damnatorum nocet, non vero corporibus, diem expectantibus resurrectionis. Sed lingua hominis viuentis multos ad supplicia ducit per falsa testimonia, pluresque ad desperationem reduxit quibus omnibus, & animabus, & corporibus nocuit.

Infernus itaque non tollit vitam temporalem, quia mortis est priuilegium, & infernus ordinariè post mortem datur. Lingua vero hæc tertia vitam aufert, & hic omni bono temporali spoliat hominem.

Infernus tandem non tollit honorem, famam, & nominis claritatem seu opinionem; plurimi namque licet crucientur in flammis, non minus venerantur in terris, sed lingua nostra non parcit famæ proximi, ignis est, vt diximus, inflammata à gehenna, & totam inflammat rotam Natiuitatis, hoc est honoris, famæ, & opinionis, ergo vtilis potius infernus quam ipsa. Benè ergo & optimè à quibusdam filia Babylonis vocatur, primogenita inferni, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; filia autem Babylonis, filia confusionis interpretatur, & nihil est, quod tantam confusionem adducat, & totam domum familiamque euertat, quam ipsa maledicta tertia lingua. Vnde comparatur filiæ familiæ cuiusdam habens quinque vel plures fratres masculos, sed nullas sorores; licet autem omnibus vitiis irretiti, cæteros ad nequitiā abducant, non tanta damna famæ, & claritatis nominis patitur familia, quanta de lapsu carnis Virginis huius patietur.

Lingua nostra est illa virgo & filia, plures habens fratres, quinque videlicet sensus, visum, auditum, gustum, odoratū, & tactum. Sed linguæ nequitia omnium sensuum superat

Digitized by Google

peccata. Vniuersitas enim est, vt diximus suprà, iniquitatis.

Qui ergo desiderat saluam facere, & custodire animam suam, seruet, & custodiat linguam suam, & hoc nostro salutari consilio ad salutem vtatur; videlicet, coërceat linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum, attendat stropham Romanorum dum ad bella procederent.

Romani lancearum suarum ferrum aduersus inimicos in bellis, & contra bellantium aduersariorum pectus conuersum deferebant, & hoc erat euidentissimum belli signum, itavt tunc aut perire aut vincere militi Romano erat necesse. Quandóque autem pacem, & concordiam ac amicitiam requirentes ferrum lancearum ad proprium pectus conuertebant, & erat signum fœderis quod requirebant. Videtur Deus ita olim se gessisse cum primis hominibus.

Primo namque reperimus quod iratus contra Adam eiecit eũ de Paradiso voluptatis, & ad portam paradisi constituit Cherubim gladium flammeum, atque versatilem habentem ad custodiendam viam ligni, &c. Ecce gladius Dei contra hominem. Sic de Caïn postquam occidit Abel, Cui Deus: maledictus eris super terram, &c. Maledictio Dei lancea eius est, sic de diluuio, & de incendio Sodomorũ, Deus enim iratus cõtra homines arma sua aduersus eos deferebat.

Sed post diluuium legitur quod Deus requirens pacem, arma sua ad se trahens, ait: nequaquam maledicam terræ propter homines, &c. Arcum meum ponam in nubibus cœli. Ecce quomodo iam Deus arma sua retraxit à terra: Et erit, inquit, signũ fœderis mihi quod pepigi vobiscum, &c.

Sed hoc reuera clarius apparuit pacis, ac reconciliationis æternæ inter Deum & homines in cruce, quando vnus militũ lancea latus Christi aperuit & exiuit indè sanguis & aqua. Ibi enim contra proprium Dei pectus versa est lancea. Et fuit signum pacti æterni, fœderisque sempiterni inter ipsum & nos.

Exiuit indè sanguis & aqua, per sanguinem peccatum Iudeorum designatur qui clamauerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros. Per aquam vero peccatum gentium notatur, nam Pilatus gentilis accepit aquam & lauit

manus suas coram populo, &c. Exiuit autem sanguis & aqua de latere Domini, ne quid remaneret in corde eius quod posset ad memoriam reuocare peccata inimicorum cum quibus inierat fœdus, pro quibus patrem orauerat, & de quibus per Prophetam dixerat, suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores.

Videtur ibi, de solius dorsi doloribus conqueri, licet sit vulneratus ab illis in capite, manibus, pedibusque, latere, & per omnes corporis partes, sed secundum aliquos sensus est, omnia peccata inimicorum meorum proieci post tergum meum, & sic suprà dorsum meum fabricauerunt, quia non vindictam sumere, sed veniam afferre veni, & ideò passus sum in cuius rei testimonium lancea latus meum aperuit, & exiuit è corde meo sanguis & aqua.

Ad hæc optimè post resurrectionem eius notatur, quod dicens Apostolis: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Potestas hæc, non ad nocendum, aut vindictam sumendum, sed ad ignoscendum data intelligitur; Vndè addit subitò, euntes ergo in mundũ vniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Et ecce fructus è pectore Domini lancea aperto quales prodiere.

Lingua autem nostra velut lancea nostra est; qui ergo pacem requirit, concordiam & amicitiam cum proximo contra semetipsum, & numquam contra proximum linguam suã conuertat. Seipsum accusando, & semper alios excusando ab cane ad equum Alexandri transeat. Refert enim Ælianus, quemdam Alexandro oblatum canem, ante cuius conspectum cum alius esset adductus, irruens in eum ita dentes eius gulæ infixit, vt nulla vi à morsu abstrahi potuerit, quapropter iussit Imperator eius caudam abscindi, deinde pedes rescindi, postremò caput amputari, & caput ipsum gulæ alterius iam mortui canis semper affixum remansit.

Cùm etiam oblatus eidem Imperatori fuisset quidã equs, ita furiosus, & indomitus vt nullus ipsum conscendere auderet, iussit Alexander eius oculos radiis solis opponi, quibus caligatus, & mansuetus effectus facilè eo vsus est: Sic dico;

A Cane ad Equum Alexandri transeamus. Sunt enim plurimi cum ſemel linguam & dentem famæ, & vitæ proximi infixerint, etiam ſi ab eis temporalia bona fuerint ablata, parum ab illis videtur, dummodo vindictam ſumant de inimicis ſuis, & ab eis temporalem quoque ſubſtantiam auferant, idem de famæ, etiam & de vitæ amiſſione ſæpius videmus. Sed heu potius malunt nonnulli damnari, & ſalutem perdere, quam ignoſcere, & famam, aut ſubſtantiam proximi reſtituere.

Sunt hi, non ſolum ſicut canes rabidi, nec vnquam ad ſacramentorum ſumptionem admittendi, de quibus dicitur, Ecce panis Angelorum, Factus cibus viatorum, Vere panis filiorum, Non mittendus canibus, ſed etiam ſicut equi feroces, furioſi & indomiti, & nullam requiem habentes, nec alios habere ſinentes: Chriſtus autem Ieſus cuius latus lanceâ apertum eſt in Cruce, Sol noſter eſt; debent ergo oculi noſtri radiis huius ſolis opponi quibus facilè mites, & manſueti, effecti cum ipſo; Dicemus; ignoſce illis, &c. In huius beatiſſimi Saluatoris ore, non eſt inuentus dolus, & peccatum non fecit, &c. Qui ſicut agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os ſuum. Sic nec mulier benedicta, Sole amicta, Virgo Deipara, verbo offendit quæ conſeruabat omnia verba, conferens in corde ſuo. Ideo de ea canit Eccleſia, Virgo ſingularis inter omnes mitis, &c. O Clemens! O Pia! O dulcis Virgo Maria, &c. Eius itaque veſtigiis inhærentes, imitemur exempla.

Digitized by Google

DE INTERNA SANCTISSIMÆ Virginis Deiparæ, temporibus maxime lacteæ educationis beatissimi Saluatoris Recollectione.

CAPVT VIII.

VENI dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, ibi dabo tibi vbera mea, Ego dilecto meo & ad me conuersio eius. Nec vult vbera in plateis ciuitatum dilecto præbere, nec eius deliciis frui in medio platearum dilectissima illa de qua agimus, & quam paulò superius tanta religiositate silentij cultricem descripsimus, Virgo Deipara, sed ad interiora deserti cordis minans gregem cogitationum suarum, & omnia verba conseruans, ac conferens in corde suo, vbera quoque sua virginalia, & sacratissima, in solitudine vult exhibere. Sciebat namque quod Deus ipse in solitudine, gratiarum suarum lacte consueuit lactare electos: Vnde, ait, lactabo eam, ducam illã in solitudinẽ, & ibi loquar ad cor eius, &c. Sicut ergo Pater æternus, ad intra, & ab omnibus creaturis amandatus, in strictiori & æterno æternitatis suæ silentio, Verbum suum generat, & ex se generatum, ex ipsamet eadémque substantia sua alit & nutrit, ita Virgo nostra beatissima, quàm solam in penetralibus, circa diuinæ contemplationis studia occupatam, & ab omni prorsus humanæ societatis strepitu ac rumore semotam reperit Angelus de Spitu sancto ipsummet Verbum concepit, quam postea in solitario Ciuitatis Bethleem Porticu, extra Ciuitatem constituto genuit, & per quadraginta dies Virgineo virginalium vberum suorum lacte in eadem stabuli bestiarum solitudine,

ipsa sua eadémque qua & illum genuit substantia aluit & nutriuit. Ac postmodum in solitudine Ægypti toto eiusdē beatissimi Saluatoris infantiæ tempore eundem mirabiliter educauit, non dimidiata vt dictum est, neque partita, aut diuisa, sed vera, integra, & perfecta eius Mater effecta.

In solitudine quoque corporali recollectione ad intra occupata, summa deuotione recollectionem coluit.

Summa namque Redemptionis nostræ mysteria nonnisi recollectis, & interioratis mentibus reuelantur.

Sic Christus ad interiora deserti in montem excelsum seorsum ascendit cum Apostolis, & ibi transfiguratus est ante eos.

Sic item ad interiora vastæ solitudinis deserti, à Spiritu sancto ductus, quadragesimali ieiunio reparationis nostræ primordia consecrauit.

Sic insuper ianuis clausis, tempore recollectionis Apostolorum, in medio illorum stetit.

Sic iterum ab strepitu & rumore Iudeæ ad Solitariū Galileæ montē eosdē Apostolos vocauit, ibique illis apparuit, ac plurima Euangelicæ Missionis ipsos sacramenta edocuit.

Spiritus denique sanctus, igneis linguis non in platea ciuitatis, sed in solitudine cœnaculi, tempore recollectionis & orationis super eosdem Christi Apostolos descendit.

Virgo itaque benedicta meritò cùm esset sola in penetralibus, vt ait S. Ambrosius, sola sine comite, sola sine teste, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, in sua ipsa beata solitariæ solitudinis recollectione, Redemptionis nostræ ab Angelo nuntia accepit.

Sed qualibus & quantis deliciarum imbribus, ac spiritualium voluptatum affluentiis, Virgineum cor eius, Virgineusque animus toto beatæ lactationis Saluatoris tempore, dum vt ait Ecclesia, sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno, abundarit, satis Tractatulo secundo, cùm de suauissimo lacteæ educationis eiusdem beatissimi Redemptoris mysterio ageremus, demonstrauimus.

Extensio & continuatio Capitis.

DEsolatione desolata est Ciuitas, ait Propheta, eo quod nemo est qui recogitet corde. In tanta, ac toto orbe famosa Ciuitate, in qua tanta animarum millia numerabantur, nemo erat qui ad intra versaretur, qui spiritualibus incumberet, qui interiorararetur, & interioris hominis peculiaribus vacaret negotiis, hoc est, erant omnes quærentes quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi & animæ salutis. Ideo desolantur Ciuitates, vastantur Prouinciæ, pereunt regna, decrescunt imperia. Et totus ferè orbis periclitatur.

E contra, Christus ipse, quem sine adiutorio descripsimus, hoc est, assidua diuinæ essentiæ fruitione, & contemplatione beatus, qua comprehensor simul & viator extitit. Semper interna recollectione circa applicatam animã summopere dilexit, qui Magdalenã Marthę prætulit, dicens; Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima; Porro, vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Et cum turbæ irruerent in eum, ita vt opprimerent illum, sentiit interioratam mulierem illum tetigisse; Quis me tetigit, ait, cui Petrus, præceptor turbæ te opprimunt? & tu dicis; quis me tetigit. Aliquis me tetigit, inquit, sentij enim virtutem de me exisse: hoc autẽ dixit de muliere fluxu sanguinis laborante, quæ dicebat intra se, si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero. Licet ergo à multitudine opprimeretur, solius interioratæ, & recollectæ, aç deuotæ mulieris, quæ intra se, excellentiam Saluatoris meditabatur, Saluator ipse fidem laudauit, cui tandem dixit; Vade fides tua te saluam fecit.

Solet ad hæc à quibusdam notari, quod Iudæi impij, Scribęque & Pharisęi, ac Principes ipsi Sacerdotum Christo improperantes, blasphemabant prætereuntes, dum ipse in Cruce pateretur. Centurio vero qui ex aduerso stabat, cum suis conuersus est, reuertebantur enim percutientes pectora sua, & dicentes; verè hic homo Filius Dei erat, &c.

Blaſphemabant illi, quia prætereuntes erant, nec ad Chriſtum attendebant, & nemo illorum erat qui recogitaret corde. Centurio conuerſus eſt, quia ſtabat, attenta mente, patientiam, manſuetudinem, charitatem & cæteras Crucifixi virtutes contemplando. Sic conuerſus eſt latro, qui ſocio dicebat, nos digna factis recipimus, hic vero nihil mali geſſit. Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuũ.

Chriſtus tandem factus eſt nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, &c. Segregatus ergo à peccatoribus, ab Apoſtolo optimè appellatur, non ſolum propter impeccabilitatem; verumetiam propter internam & aſſiduam ſolitariȩ recollectionis obſeruantiam. Peccatores namque vanis ac terrenis exterioribuſq; rebus & affectibus occupati; rarò aut numquam interiora requirunt, vnde longè à peccatoribus ſalus, ait Propheta, noſtræ vero ſalutis auctor & magiſter, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus ſemper, vt ſæpius diximus interna ſummi boni fruitione beatus extitit.

Ita, ad illius imitationem electi à reprobis, & boni à malis ſegregantur. Prædeſtinatio namque electorum ſegregatio dicitur, cum in ſua æternitate oues ab hœdis, id eſt, electos à reprobis ſecundum propoſitum voluntatis ſuȩ, vt ait Apoſtolus, Deus ipſe ſegregat.

Inter autem, & ſuper omnes puras creaturas in ipſa æterni Dei æternitate beatiſſima, longè à peccatoribus ſuȩ electionis & prædeſtinationis dignitate, vt Tractatulo primo declarauimus, ſanctiſſima Virgo Deipara ſegregata extitit.

Segregata eſt item in tempore, dum in ſolitudine templi morabatur, vſque ad Incarnationis tempora internæ contemplationis dulcedine collecta, & ſolitariæ recollectionis deliciis repleta.

Segregata denique, vt dictum eſt ſupra, in Bethleem, & apud Ægyptum, toto lacteæ educationis Saluatoris tempore, dum diuinis ac planè ſuauiſſimis tunc arcanorum, & gratiarum cœleſtium, diuinarúmque influxionum affluentiis abundaret, & redundaret, rerum externarum curam agente Ioſeph.

Pro-

Propter hoc notat sacer Euangelista, quod remansit puer Iesus in Ierusalem anno ætatis duodecimo, & non cognouerunt parentes eius, quippe qui, tanto recollectionis internæ studio, ad intra occupati, vt pro tunc quæ Christi ad extra infantis erant, ex memoria deposuisse viderentur.

Ergo qui electus est, inter homines ad imitationem Christi & Virginis Deiparæ ab aliis, hoc est à peccatoribus segregetur, nam omnes quærunt quę sua sunt, non quæ Iesu Christi.

Stultorum, ait Scriptura, infinitus est numerus, stultus verò vt Luna mutatur, & Luna talibus ac tantis mutationibus & inconstantiis subiecta cernitur, quia superficialiter tantum lumen à sole recipit; Stellę vero minimè illis subduntur, quia non in superficie, sed penitùs, & vsque ad fundum idem lumen recipiunt. Certè stultorum infinitus est numerus, eorum nempè qui in vacuũ gratiam Dei recipientes solo nomine sunt Christiani. Electi verò pauci sunt, à peccatoribus segregati, & circa interiora versati: Multi, ait Christus, sunt vocati, pauci vero electi.

Ideò quicumque vult saluus esse, inter Reges, Principes, Magnates, & Nobiles, ab aliis segregetur: & vitam segregatam ducat.

Sic item inter eos qui magistraturam exercent: qui lucratiuis mercationum deputantur negotiis, qui etiam relaxam Monachorum vitam profitentur. Sic denique qui communi sæculi vita viuunt, cuiuscumque status, conditionis, & professionis extiterint, cùm stultorum infinitus sit numerus, & omnes quærant quæ sua sunt, & longè sit à peccatoribus salus, Saluandus, vita priuata, pia, recollecta; atque segregata ab aliis viuat. Cæteri namque huius sęculi sectatores, cœci sunt, duces cœcorum; si autem cœcus cœcum ducat, ambo in foueam cadunt.

Conclusio Capitis continuationisque & extensionis eiusdem.

MAria conseruabat omnia, &c. Conferens in corde suo. Omnia, ad interiora cordis reuocabat Virgo Deipara, ideò semper mulier segregata & recollecta extitit. Et si quandóque ad exteriora ex officio vocaretur, vt ministra temporalis mysteriorum infantię Saluatoris seram se & festinam exhibebat. Vnde sanctus Ambrosius, discite & vos sanctę mulieres, ait, discite Virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, &c.

Interioritatem & sanctam recollectionem, solitudinémq; mulieribus sanctis sanctus Doctor, ad imitationem sanctissimæ Virginis commendat, de qua Spiritus sanctus, quam pulchri sunt gressus tui, ait, filia Principis, in calceamentis, quippe qui Luthû platearum non sunt maculati, non est Virgo benedicta filia vaga, sed solitaria, & recollecta.

Ideo forsan mulieres Ægyptiæ nudis semper & mundis pedibus iubebantur ambulare, quapropter raro domo egrediebantur, ne luto pedes contaminarentur, quia multũ decet honestam mulierem domum seruare, & solitariæ domus habitationem diligere. Vnde & is qui formosissimæ illius Matronę Romanæ Epitaphium composuit, omnia paucis comprehendit, cùm ait; *Claudia castè vixit, lanam fecit, domum seruauit*, &c. Et vxor Themistoclis, quæ ad extra versari, & ad videndos ciues domo egredi à vicinis inuitabatur, sapienter sic respondisse fertur: Nec mundum, inquit, nec vrbem, præter maritum noui. Digna sanè prudentis mulieris responsio.

Ideò legimus in Paradiso voluptatis creatam mulierem, virum verò in agro, vt discat mulier, non vagari, per agros, sed domum suam sibi Paradisum reputare. Ideò iterum Propheta, vxor tua, ait, sicut vitis abundans in lateribus domus tuę, ne Mulier sapiens alienetur à domo. Quod

si fortè domo egrediatur, domus latera non relinquat.

Ideò denique per sacramentum Scripturæ dictum est, In exitu Israël de Ægypto, postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea, &c. Licet viro amicum suum vbicumque sit quærere, sed non decet mulierem vagari. A vicina sua postulet, &c.

Vnde etiam Deus vxorem Abraham, post quasdam peregrinationes volens sanctam mulierem facere, & matrem per miraculum Patriarchæ Isaac reddere, dixit; Non vocabitur amplius Sarai, sed Sara erit nomen eius. A nomine mulieris sanctæ, tollitur littera I, quod est, vade, ambula, perge, &c. A verbo eo, is, &c. in secunda persona imperatiui præsentis temporis. Vt discat domum seruare, & solitariam recollectionem sectari.

Hæc sancta Mulier sanctissimè postea in domo sua vixit vnde cum Angeli subuersores Sodomorum quęrerent ab Abraham vbinam esset; vbi est, inquiunt, Sara vxor tua? Ecce, respondit, abscondita est domi. Timebat, etiam coram Angelis, apparere, eos alloqui, & Angelis ministrare, quid si mundani homines domũ Patriarchæ ingressi fuissent?

Sanctissima idcircò Virgo Deipara, à peccatoribus segregata ad ingressum Angeli nostrę redemptionis nuntia portantis timuit, & turbata est. Vnde sanctus Ambrosius: disce, ait, Virginem moribus, disce Virginem verecundia, disce oraculo, disce mysterio. Trepidare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari, &c.

Ergo, forma facta est virtutis pusilli gregis sanctarum animarum, dum temporibus maximè beatissimæ lactationis Saluatoris, ad intra occupata, quæ filij erant, curabat, quę Dei erant, cogitabat, sancta & corpore & spiritu, conseruans omnia, & conferens in corde suo.

Solebat olim Christus in deserto solitudinis reficere turbas, & satiare panibus. In solitudine cordis sui dignissima Virgo temporibus lacteę educationis eiusdem beatissimi Saluatoris virgineo virginalium vberum suorum lacte, reficiebat reficientem, alebat alentem, pascentem pascebat, ac nutriebat omnia nutrientem. Dd ij

DE PIISSIMA DOLOROSISSIMÆ Passionis Domini nostri Iesu Christi meditatione, quam coluit beatissima Virgo Deipara, temporibus maximè lacteæ educationis eiusdem.

CAPVT IX.

HIC positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, &c. Verba sunt Simeonis senis ad Virginem nostram benedictam, eo tempore quo in templo sub lacte Virgineo nutritionis obtulit pretium nostræ redemptionis.

O Simeon, Simeon sanctissime, quid agis? quid loqueris? legis non recordaris? *Non coques*, ait, *hædum in lacte matris*: mitem, dulcissimamque Matrem, mansuetissimum agnum lactantem, tanti vulneris plaga ferire audes? qua, & hœdus in lacte matris coquitur, & Mater ipsa dilecti Filij sanguine conspersa in medio tantæ solemnitatis gaudiorum, mœrore conficitur. Iam reuera ibi risum dolore mixtum, & extrema gaudij luctum occupantem video.

In lacte matris hœdus ipse mysticus noster coquebatur, quando ipsa, vt integra & perfecta, & non dimidiata Mater, in lactæ nutritionis, sanguinem administrabat salutiferę, sed & amarissimæ passionis.

Quando vt flueret ex vulneribus, fluebat ex vberibus.

Quando vt in charitate perfecta fundaretur, in charitate non ficta fundebat.

Quando denique vt copiosa fieret apud eum nostra re-

demptio, copiosa fiebat ab ea ipsa lactatio, &c.

Cum autem totam Scripturam legisset, & perfectissimè quæ de passione Domini erant testimonia corde retineret, toto illo beatæ lactationis Saluatoris tempore, iugiter ipsam futuræ passionis dilecti filij amaritudinem, viua memoria recolebat, & toties gladius doloris eius animam pertransibat, quoties Isaiæ Prophetiam, & aliorum Prophetarum oracula, illi in mentem veniebant.

Dum enim corpusculum Christi Infantis adornaret, & membra pannis inuoluta alligaret, manúsque, ac pedes, & crura, stricta cingeret fascia, hæc illi occurrebāt: foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Corpus meum dedi percutientibus, &c.

Cum Virgineis osculis, os eius, genas, faciémque deoscularetur, eorum quæ scripta sunt recordabatur, genas meas dedi vellentibus, faciem meā non auerti ab increpantibus, & conspuentibus. Non est species ei neque decor, quasi absconditus vultus eius, & despectus. Vidimus eum tanquam leprosum non habentem speciem, neque decorem. O acerbissimi doloris gladius! Quomodo speciosus forma præ filiis hominum, in cuius labiis omnis plenitudo gratiæ est diffusa, factus est vt leprosus, non habens speciem neque decorem?

Dum aperto Virgineo sinu, extractóque Virginali vbere lactaret, subito occurrebat quod scriptum est; Dederunt in escam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Dum vero pannis inuolueret, ac vestimentis indueret, confestim psalmistæ recordabatur dicentis: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Similiter & Prophetæ: Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? &c.

Sed & cum manus, & pedes summa humilitate, deoscularetur, attenta mente audiebat quæ scripta sunt: quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & responsum attendebat, his plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

Tandem dum Deum infantem sæpius contemplaretur, ac

Digitized by Google

mirabili deuotionis suauitate, in illius pulchritudine & speciositate delectaretur, & cordi filij cor Matris conglutinaretur, itaut diceret; Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Dilectus meus mihi, & ego illi. Speciosus forma præ filiis hominum; fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, &c. Respondebat illi Propheta; Non est species ei neque decor. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum; Virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Hæc & similia ex Prophetis desumpta de passione filij tenerrima Virgo Mater attentissimè meditabatur, temporibus lacteæ educationis Saluatoris.

Plangebat eum iam planctu, quasi super vnigenitum, & dolebat super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti. O quoties verbatim præponderabat quæ legũtur: improperium expectauit cor meum, & miseriam, & sustinui qui simul mecum contristaretur, & non fuit: Consolantem me quæsiui, & non inueni. Ego vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, &c.

In lacte Matris profectò tunc coquebatur hœdus, & cum lacte Virgineo Christi sanguis miscebatur. Cooperabatur vt Tractatulo primo monstrauimus infiniti valoris ac meriti operi, operi videlicet nostræ reparationis, & vt infrà ostendemus, stabat iam ex tunc iuxta Crucem Iesu Mater eius.

Recordabatur verborum Angeli ad ipsam. Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, Dauid autem vir bellicosus multa prælia præliauit, & Christus quoque contra Diabolum in deserto, contra mundum in passione, vnde confidite ait; Ego vici mundum, & contra mortem, & Crucem in horto, vnde factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis. In hunc mundum præliaturus descendit. Sequitur, & regnabit

Digitized by Google

in domo Iacob in æternum. Iacob post luctam percussus est in fœmore, itavt claudicaret, sic Christus in sua humanitate percussus dum anima in triduo separata est à corpore, visus est velut claudus.

Hæc mente reuolebat deuotissima Virgo, & dum audiuit à Simeone, hic positus est, &c. & in signum cui contradicetur: Succurrebat illi quod dictum est Moysi: fac serpentem Æneum, & pone eum pro signo, &c. Intelligebátque optimè mysterium quod postea à Christo reuelatum est dum ait, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, &c.

Stabat itaque iam tunc temporis piissima Mater iuxtà Crucem Iesu Filij sui, illámque tota mentis pietate venerabatur quam sciebat propter nos homines, & propter nostram salutem Christum ipsum omnibus honorum, dignitatum, & prerogatiuarum excellentiis iam in sua æternitate prætulisse, & in sua passione præferre debere vti Euangelicis oraculis discimus. Regiæ siquidem dignitati honorem, & amorem Crucis Christus prætulit; nam cum clamarent Iudæi; Si Rex Israël est, descendat de Cruce, &c. Nec tamen de Cruce descendit, eligens magis in Cruce mori, quàm ab eis Rex Israël haberi, & renuit altera quam in Cruce Spinea Corona ab hominibus coronari.

Prætulit item Crucem suam, dignitati Messiæ, dicebant enim; Si hic est Christus Dei electus, descendat de Cruce.

Iterum dignitati Filij Dei, nam clamauerunt omnes si Filius Dei es, descende de Cruce.

Dignitati quoque Filij hominis, id est, Virginis, quod enim de nostro assumpsit, totum de Virgine habuit; Hanc autem dignitatem in vita sua Christus summopere dilexit, qui rarò se Filium Dei, & sæpissimè Filium hominis appellare consueuit. In Cruce autem Virginem sacram, mulierem appellat, & non Matrem; Mulier, inquit, ecce Filius tuus, adoptans illi discipulum in Filium, quasi tunc aliam Matrē nisi Crucem nullam agnosceret, in cuius gremio portabatur, in cuius sinu quiescebat, cuius brachiis amplexabatur, & in qua pro salute mundi mori eligebat. Quantum autem

Diua Virgo, Christo quem lacte suo alebat passuro in Cruce iam compatiebatur, ex his quę infra dicentur, facile conjicietur.

Continuatio, & extensio Capitis.

ERat cordi Virgineo dolor compassionis, & compunctionis, dum lactando Saluatorem, quæ passionis eius futuræ erant, assidua meditatione contemplabatur.

Compassionis respectu eorum quæ ventura erant super eum. Compunctionis, respectu peccatorum quæ committebantur contra ipsum.

Compassionis ergo, quoniam quę passurus erat Christus in carne, iam ipsa patiebatur in corde, vt ex his quę paulo superiùs diximus, clarum est.

Erat autem vehementissimus dolor ipse, quandoquidem sicut stans iuxta Crucem in die passionis Filij nullas emisit lachrymas, quibus cor non modicum leuamen suscipit: Iuxta Ambrosium dicentem, stantem lego, flentem non legi. Quoque idem solatio Christus ipse non est destitutus, cum dicat Apostolus, quod in Cruce cum clamore valido, & lachrymis, &c.

Non est quoque loquuta, ne tantisper solatij habuisse crederetur; loqui namque cum amicis de mœrore & cordis mœstitia omnem ferè eiusdem cordis laborem euacuat. Christus ipse discipulis ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem, &c.

Nec clamauit, aut vocem quomodocumque edidit, sicut in magnis doloribus, clamare solent plurimi, vt etiam Christus in Cruce. Nullus enim tunc à clamore prohiberi potest, & aliquantulum est etiam patienti leuamento non modico: vt summum & extremum videretur passa esse Martyrium. Ita in lactea educatione Saluatoris Christo Filio summè compatiens passuro, nec lachrymas eius, nec clamorē, nec vocem quidem aut loquelam legimus; sed erat illi continuus dolor cordi, cum conseruaret omnia conferens in corde suo.

Et

Et quemadmodùm dicimus illam Martyrium passionis Christi vltra etiam mortem ipsius passam fuisse, cum ille de seipso diceret, Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Quandoquidem lanceæ vulnere post mortem, corpori mortuo Christi inflicto, cor eius vulneratum est; quo, & gladius doloris animam ipsius pertransiuit; ita etiam, illudmet Martyrium millies ante mortem eiusdem Redemptoris subiisse asserimus, toties videlicet, quoties quæ supra allata sunt, ad memoriam reuocabat.

Benè ergo iam ex tunc dicere poterat, non est dolor, sicut dolor meus.

Non fuit Euæ dolor similis in morte Abel, quia denuò concepit, & dedit illi Deus semen aliud pro Abel.

Non dolor Saræ, in sacrificio Abrahæ, ignorauit enim, nec vidit filium suum sacrificandum.

Non item dolor matris pro filio contendentis coram Salomone, accepit enim tandem infantem suum viuum.

Non dolor Iob, in morte filiorum, nam addidit illi Deus duplicia, habuitque postea, & ditiores, & pulchriores filios & filias, & ideò bene asserunt Doctores Martyrium sanctissimæ Virginis nullis figuris adumbratum extitisse ob eius excessum. Et ecce quantum compatiebatur Christo passura, dum illum suo lacte educaret piissima Virgo Mater, qualique dolore compassionis angeretur cor eius. De dolore compunctionis concludendo dicemus.

Conclusio Capitis continuationisque, & extensionis eiusdem.

CIrcumdederunt me dolores mortis, mors est priuatio vitæ, dolor ergo mortis est dolor de priuatione vitæ, at super omnes vitas, vita Christi erat melior. Et si vita hominis est illi bonum, vita Christi est maius bonum. Nam quemadmodum propter nobilitatem, spiritualitatem, & excellentiam naturæ angelicæ supra naturam hominis, si Deus Angelo vellet corpus adaptare, esset illud nobilius corpore humano, & corpus Archãgeli corpore Angeli, cor-

pus Virtutis, corpore Archangeli, Corpus vero Dominationis corpore Virtutis, Principat⁹ corpore Dominationis, Potestatis item corpore Principatus, Throni corpore Potestatis, Cherubin corpore Throni, Seraphin tandem corpus nobilius esset corpore Cherubin, secundum excellentiam Hierarchiæ, chori, & personæ. Quod si Deus sibi ipsi velit adaptare corpus, proculdubio nobilissimum omnium erit illud, sic de anima, sic de vita. Ergo vita Christi & Dei melior, & nobilior est omnibus aliis; tantus autem est dolor de priuatione alicuius est boni, quanto maius est bonum; ergo maximus & vehementissimus per omnem modum fuit dolor beatissimæ Virginis Deiparæ de morte Christi.

Notandum autem quod in Christo erat vita naturalis, spiritalis, ciuilis, cœlestis, & diuina.

Naturalis consistit in vnione corporis & animæ, spiritalis est vita animæ, quia anima viuens spiritus est. Ciuilis est vita honoris seu bonæ famæ, cœlestis est vita qua angeli & beati per claram Dei visionem viuunt, diuina tandem qua Deus ipse per seipsum, & ex seipso viuit ab æterno.

In Christo ergo erat vita naturalis, quia erat homo constans corpore & anima; hanc charissimam vitam ab eo abstulerunt carnifices, qui eum crucifixerunt, &c. Erat insuper in eo vita spiritalis animæ, quam quoque discipuli, quorum vnus illum vendidit, alius negauit, & omnes relicto eo fugerunt, ab ipso abstulerunt, quorum peccata defleuit, cum ait; Tristis est anima mea vsque ad mortem, id est, si esset mortalis anima mea, eorum quæ patior mœstitia, moreretur. Ciuili vita item à Principibus Sacerdotum, Scribis, & Pharisæis priuatus est, cum ipsum, vt seditiosum, sortilegum, latronem, patriæ subuersorem, & pessimum hominem crucifixerunt. Vita quoque cœlesti fruebatur, nam à primo Incarnationis instanti propter claram diuinæ essentiæ visionem, beatus extitit & comprehensor simul ac viator, hac vita hæretici impiissimi illum priuarunt, asserentes ipsum in Cruce damnatum pro tempore extitisse, & pœnam damnati passum fuisse vt Caluinus, & alij, &c.

Cum tandem habitaret in ipso plenitudo diuinitatis cor-

Digitized by Google

poraliter, vita Dei viuebat, & hanc vitam ab eo quotidie hi qui cum fide, quæ per peccatum non amittitur, peccato mortali offendunt, auferunt, & est peccatum Christianorũ qui voluntariè, & ex proposito, Legem Dei transgrediuntur, iterum Christum, vt ait Apostolus, in semetipsis crucifigentes.

Hæc omnia cum meditatione attentissima Virgo Mater in corde moueret, acerbissimus planè compunctionis simul & compassionis gladius animam eius pertransibat, quæ dolebat de tantis peccatis commissis, & dilecto Filio in carne quam de ea assumpserat passuro, vt non dimidiata, neque partita, aut diuisa Mater, sed integra, atque perfecta, tota compatiebatur.

Quis est ergo homo qui non fleret, Christi matrem si videret in tanto supplicio. Eia Mater, fons amoris, me sentire vim doloris, fac vt tecum lugeam.

DE SANCTISSIMÆ PAVPERTATIS affectu, quo mouebatur piissima anima sanctissimæ Virginis Deiparæ, lactando Christum Saluatorem.

CAP. X.

ESVRIENTES impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Cantici Virginis nostræ Deiparæ verba sunt ista. Inanes autem, id est, vacui, sicut de terra dicitur, quod in principio erat inanis, & vacua hominibus & iumentis, plantis, seminibus, gramine, luce, decore, fluminibus, fontibus, montibus, collibus, campis, vallibus, metallis, & mineralibus ad quæ naturalem quasi inclinationem habet. Et vt aliis placet, terra erat vanitas,

Digitized by Google

& nihil: talis est, secundũ diuinissimam Diuæ Virginis Theologiam, status diuitum; diuites, inquit, dimisit inanes.

Quemadmodum itaque, muli regij postquam per viam tota die pondus auri, argenti, & alia vtensilia Regia, Regiis adornati vexillis peristromatibusque item regiis cooperti portauerunt, inclinata die exonerantur, & sæpè plagis ac vulneribus ex onere attriti, ictibus flagellorum ad stabula dimittuntur vacui. Sic diuites post huius mundi delicias, vanitates, & diuitias, vacui virtutibus, donis Dei, gratiis cœlestibus, ac bonis operibus, postquam duxerunt in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt.

Assimilantur inde pauperibus, ac mendicantibus mulieribus, & ancillis, ac famulabus, quæ in crastinum nuptiarum suarum pretiosis vestibus, quibus pro solemnitate desponsationis suæ mutuo fuerant adornatæ, depositis, vilibus induuntur, ac suffarcinantur. Diuites etenim in hac vita ducunt in bonis dies suos, velut in die nuptiarum, sed in morte omnibus spoliantur, & miseri ac miserabiles ad inferna in puncto descendunt peccatorum, ac vitiorum suffarcinatione onerati, vbi diues epulo guttam aquæ petit, qui micas panis Lazaro negauit.

Thesaurisant sibi iram in die iræ, & in nouissimis diebus, vt ait Iacobus Apostolus, aureum aureo, thesaurúmque thesauro accumulantes, terminúmque transgredientes quem Deus posuit, quo vnusquisque quod suum est habeat, aliena rapiunt, nec vnquam dicunt sufficit, ideò dicitur per Prophetam, iudicio contendam tecum, in alis enim tuis inuentus est sanguis animarum pauperum. Iudicio contendam tecum, eo quod eorum sanguinem & sudorem biberis.

Refertur de beato Bartholomæo à Solutio ordinis Minorum Recollectorum, quod coram diuite, ex pane quem manibus accipiens fregit, sanguine paropsidem impleuerit, idem coram Rege Siciliæ qui nouo tributo populum suum vexarat, copiosus sanguis ex nummo fracto effluxit.

Propter hoc in figuris cum omnia, & in mysteriis contingerent sub veteri testamento; Sacerdos omnia scelera, abominationes & peccata populi confitebatur, super caput

hirci viuentis alterius ſanguine conſperſi, qui oblatus Domino fuerat, & hic ſanguine conſperſus, omnibus abominationibus populi oneratus in deſertum dimittebatur. Sic in mundum dimittitur diues in hac vita, ſanguine pauperum conſperſus, ſed portabit omnia ſcelera, & peccata abominationes & vitia quibus, penuria, egeſtate, ac inedia & extrema neceſſitate compulſi, & confecti, pauperes compotes redduntur. Non ergo mirum ſi poſtquam duxit in bonis dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendat.

Effundam, ait Deus per Prophetam ſuum, quaſi aquam iram meam ſuper auellentes terminos. Et inſuper, Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, &c. Comparationem facit, ad Petram terminalem, quâ prata, & prædia familiarum diuiduntur, terminantur, & dignoſcuntur, quam auellere non licet. Diuites autem nullum terminum in poſſeſſionibus terrenæ ſubſtantiæ volunt obſeruare, nunquam dicunt ſufficit, & ideo iram Dei ſibi theſauriſant in nouiſſimis diebus, vt dictum eſt ſupra.

Inexplebili ventre ad aquas diuitiarum currunt, & flexo poplite, aquam fluminis bibunt, vt milites Ioſue, de quibus dicitur, qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt, &c. Pars autem iſta, hæc eſt de qua dicitur; Quod Chriſtus in iudicio dicet iis qui à ſiniſtris eius erunt: Ite maledicti in ignem æternum, &c. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c. De electis verò habetur, qui lingua lamberint aquas ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum, &c. Hi paucis contenti ſunt, & quaſi pertranſeundo ſubſtantia vtantur modica, victúmque & veſtitum habentes dicunt cum Apoſtolo, his contenti ſumus. Tandémque Deus illos implet bonis, vt verum ſit quod per ſanctiſſimam Virginem dictum eſt, Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.

Diuitiæ ſi affluant, cor non apponunt, ſecundum Concilium Pſalmiſtæ, & ſunt ſicut pharmacopolæ qui in officina quidem, venenum habent, ſed non in corde, ideo eis non nocet.

Sunt ſicut Iacob, cuius manus pelliculis hædorum tectæ

erant, quas obiicere sine læsione & dolore poterat; sed diuites habent venenum diuitiarum in corde, vnde de Iuda habetur, cum iam misisset Diabolus in cor, vt traderet eum Iudas, &c. Et pilosas manus habent, vt reprobatus Esau à quibus sine dolore pili diuitiarum non possunt auelli. O quam amara mors est, ait Scriptura, homini pacem habenti in diuitiis, &c.

De sanctissimæ vero Virginis Deiparæ paupertatis sanctissimæ affectu piissimo, temporibus maximè beatissimæ lactationis Saluatoris infrà dicetur.

Continuatio & extensio Capitis.

IN extensione huius Capitis, antequam ad sanctissimam Virginem deueniamus, placet, paulo longius quæ dicta sunt extendere, & primo quidem notanda valdè veniunt verba Psalmistæ, de impio diuite sermocinante.

Constitue, ait, Domine super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius. Per peccatorem intelligitur antiChristus, qui homo peccati ab Apostolo appellatur, ad cuius dexteram iugiter stabit Diabolus, & ad cuius pedes congregabunt dæmones omnes thesauros qui in mari sunt & in terra, & subtus terram. Sensus ergo noster est. Constitue Domine super immisericordem & auarum, ac impiissimum diuitem, omnes abominationes, nequitias, & impietates, omniaque scelera, & vitia Antichristi, &c. Deinde sequitur. Cum iudicatur, exeat condemnatus.

Iudicium enim ei debet fieri absque misericordia, qui non fecerit misericordiam. Et oratio eius fiat in peccatum. Si quæ debent prodesse, aiunt Medici, non prosint, mortale. O infœlicitas maxima, vt fiat illi in peccatum Oratio eius ad Deum, quæ cunctis fieri solet in salutem!

Fiant dies eius pauci † & Episcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius Orphani † & vxor eius vidua.

Nutantes transferentur filij eius † & mendicent †, & eiiciantur de habitationibus suis.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius †, & diri-

piant alieni labores eius.

Non sit illi adiutor †, nec sit qui misereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum †, in generatione vna deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas Patrum eius † in conspectu Domini † & peccatum Matris eius non deleatur. Fiant contra Dominum semper †. O genimina Antichristi! Antichristus enim, id est, contra Christum: & dispereat de terra memoria eorum.

Pro eo quod non est recordatus facere Misericordiam; & persequutus est hominem pauperem, & mendicum, &c.

Et ecce miserabilis status impij diuitis, cuius Patres fuere, Cain maledictus, Cham, Esau, Iudas, epulo, &c. Mater impiissima & crudelissima Iezabel fratres, illi qui vendiderunt fratrem suum pro argento; quorum dicebat vnus. Melius est vt venundetur, &c. Et acquieuerunt, ait Scriptura, fratres eius sermonibus illius, &c. Mater denique eius Herodias saltatrix est, quæ dicebat Herodi; Domine mi Rex, da mihi in disco, caput Ioannis, &c.

Sciebat enim omnia vtensilia Regis esse aurea & argentea; crudelitatem itaque iungens cum cupiditate auri & argenti, non solùm caput petit, sed illud in disco vult habere; adsunt secundum spiritum, parentes diuitum impiorum de quibus Christus: O quam difficile diuites regnum Dei possidebunt, &c. Horrendum sanè sacer Euangelista describit exemplum. Iuuenis ille videbatur bonus, pius, ac deuotus qui flexis genibus à Christo salutare petit consilium: dicens, Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? Cui Christus præcepta nosti, &c. Respondit ille Magister hæc omnia obseruaui à iuuentute mea. Tunc, Iesus intuitus eum, dilexit illum: Et dixit, Vnum tibi deest, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. Abiit autem mœrens, eo quod erat multas possessiones habens. O quam difficile, ait tunc Christus diuites regnum Dei possidebunt. Erat ipse obseruator mandatorum, dignus Filij Redemptoris intuitu, & ab eo dilectus; verumtamen, non sequutus est consilium eius, nec amplius illum legimus ad Christum reuersum; sed abiit mœrens, recessit à Christo sa-

Digitized by Google

lutari suo, & plurimi Doctores asserunt ipsum de via vitæ æternæ inquirentem damnationem æternam habuisse.

Ergo Deus bonus & optimus esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quibus autem bonis humilem ac paupertatis sanctissimæ pollentem Virginem Deiparam non impleuit bonis? Nonnè quando Filium suum vnigenitum dedit illi, cum ipso omnia donauit eis.

Sanctam sanè coluit paupertatem sanctissima Virgo temporibus infantiæ Saluatoris, ac lacteæ educationis eiusdem, quæ cum diuitiæ affluerent, cor non apposuit, sed à Pastoribus sibi erogata dona, & munera pauperibus distribuit. Sibique à Magis erogatas quoque opes, egenis erogauit parentum pientissimorum suorum prędia & possessiones amplas inopibus, ac mendicantibus mira liberalitate donauit. Quæ, inquam, cum non esset ei locus in diuersorio, Deum infantem quem genuit, vilibus pannis inuolutum reclinauit in pręsepio, quę tandem ritu pauperum fœminarum pro filio obtulit par turturum, aut duos pullos Columbarum, & sanctissimæ paupertatis mirabilis sectatrix effecta, pauper in Galilæa apud Nazareth, pauperior in Iudæa apud Bethlehem, & pauperrima semper in Ægypto extitit.

Conclusio Capitis continuationisque & extensionis eiusdem.

ANna Mater Tobiæ iunioris filij absentia mœrēs, tristisque effecta; Sufficiebat, ait, nobis paupertas nostra, vt diuitiæ computarentur, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, & baculum senectutis nostræ? Omnes in dilecto filio præsente diuitias possidere se existimabat, sufficiebátque illi paupertas sua, vt diuitiæ computarentur dum oculis filium cerneret præsentem, quem & lumen oculorum suorum appellabat. Quid ergo de Deiparæ Virginis paupertatis sufficientia, in educatione Saluatoris sentiendum? Hic est, aiebat, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientię Dei absconditi. Gloria & diuitiæ in domo eius, & miseratio eius manet in sæculū sæculi. Omnes

sanè diuitias, & diuitias summas computabat Filium suum videre, in quem desiderant & Angeli aspicere, illum alloqui, amplexari, deosculari, ipsum gremio excipere, sinu gestare, manibus pertractare, vberibúsque ipsis suis de cœlo plenis lactare, mammare, nutrire, pascere, alere, & educare. Pectore tandem Virgineo ipsum fouere, omni cura illi ministrare, & omni studio illum curare, ac omni prorsùs deliciarum elegantia ei blandiri.

Hæc erant Virginis Deiparæ diuitiæ, de reliquo, sufficiebat illi paupertas sua, &c. Et licet pauper & inops esset, attamen in ipso solo dilectorum dilecto summa summæ misericordiæ opera exercuit, quem nudum non solum sua carne induit, sed & pannis inuoluit, ac indumentis aliis vestiuit. Quem peregrinum de cœlis ad terram descendentem excepit, quem veteri ergastulo clausum, & velut carcere mancipatum visitauit; quem denique esurientem pauit, sitientem potauit, & omnibus aliis studiis ad quæ ipsam Materna pietas informabat pro qualitatum vicissitudinibus ei sedula blandiebatur. Cum autem dicat Christus, quod vni ex minimis fratribus meis his fecistis, mihi fecistis, sic dico ego, quod huic fratri nostro Christo Redemptori, primogenito in multis fratribus, Diua Virgo exhibuit, nobis omnibus contulit.

Ad cuius imitationem, & nos Christo in membris eius, hoc est, pauperibus ministrare debemus, quantumcumque inopes, ac pauperes simus. Sic sanctus Alexius, sic sanctus Seruulus pauper, & alij sancti viri ex collectis pro se eleemosynis alios etiam habebant mendicantes. Quanto magis si diuites fuerimus?

Quemadmodùm Medici duplici artis suæ industria infirmos curare solent, vel ab infirmitate illos per præseruatiuam medicinam præseruando, vel infirmitatem ipsam per sanatiuam expellendo, ita diuites debent erga pauperes se gerere, vt illos ab egestate, & penuria sua, liberalitate seruent, vel eorum paupertatem sua misericordia & eleemosynis expellant: Ait enim Augustinus. Occidisti si non pauisti.

Et ſicut Chriſtus ſuam Matrem à labe originali præſeruando nobiliori modo redemit, quàm ſi lapſam releuando ſanaſſet, Ita melior eſt miſericordia illorum, quorum liberalitas verecundos pauperes, & alios, qui egeſtate non carerent niſi ſubleuarentur, à periculis extremæ neceſſitatis eripuit.

Date eleemoſynam, ait Scriptura, & ecce omnia munda ſu t vobis. O digna Saluatoris ſententia! Si enim omnia ſunt munda, ergo mundum cor; beati autem mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt, ergo mundum os, & munda labia mundáque verba, qui autem verbo non offendit hic perfectus eſt vir. Ergo mundi oculi, mundæ manus, mundáque brachia, mundæ aures, mundæque nares, mundi pedes, & tandem omnia munda.

Qui itaque dat eleemoſynam poteſt, & mundo corde Chriſtum diligere, mundis manibus illum pertractare, mundis brachiis amplecti, mundis pedibus ipſum ſequi, mundiſque labiis, & mundo ore deoſculari, &c. O fœlix eleemoſyna quę talibus ac tantis eſt ditata gratiis ac fauoribus cœleſtibus illuſtrata. Vt quibus Virgo Deipara temporibus lacteæ educationis Saluatoris fruebatur gaudiis Chriſtum amplexando, deoſculando, pertractando, &c. Et ipſa iiſdem potiatur.

† †

Digitized by Google

DE RELIGIOSISSIMÆ ABSTInentia religiosissima virtute, quam temporibus maximè beatissimi Saluatoris lactea educationis, religiosissima Virgo Deipara religiosissimè coluit.

CAPVT XI.

DE Mirabili Virginis Deiparæ abstinentiæ virtute, ita loquitur sanctus Ambrosius: Quid ergo exequar ciborum parcimoniam, & officiorum redundantiam, alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse. Illic nulla intermissa tempora: hic congeminati ieiunio dies, & si quandoque reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret, &c.

Albertus item sic ait, In Beata Virgine Deipara, non fuit abstinentia sicut in aliis viatoribus pro debito satisfactionis, nec pro peccato præterito, nec pro cautela prouisionis, nec pro delectione pœnæ: sed pro virtute supererogationis, pro exemplo edificationis, & pro merito gloriæ. Ergo fuit nobilior abstinentia sua cuiuslibet viatoris.

Si nutrices filiorum Regum & Principum, tanta Medicorum cura lautioribus cibis vescuntur, vt puriori lacte princeps infans nutriatur, cum Saluatorem seculorum ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactaret, vbere de Cœlo pleno, quibus putamus cœlestibus alimentis nutriretur? illic sanè congeminati ieiunio corporali dies, &c.

A ieiunio mundus speciositatis suæ decorem accepit primus; namque vsus mundi à ieiunio cœpit, ait sanctus Am-

brosius. Quando lux clara resplenduit. Iuxta illud, fiat lux, &c. Secundus dies in ieiunio fuit, quando cœli factum est firmamentum. Tertia die, terra pabulum germinauit, natura obsequium præbuit; ieiunium tamen cœlestis disciplina seruauit. Quarta die luminaria facta sunt Solis & Lunæ, sed adhuc ieiunium. Quinta die produxerunt aquę reptile animarum, &, volatilia super terram, benedixitque illis dicens; Crescite, &c. Sed non dixit Comedite, quoniam & illic adhuc ieiunium. Sexta die bestiæ creatæ sunt, & cum bestiis orta edendi potestas vsusque escarum, eodémque die homo creatus est, cui dicitur; Ex omni ligno quod est in paradiso, comede, &c. Vbi autem cibus cœpit, ibi finis factus est mundi; vbi cœpit mundus sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quo initio declaratum est, quod per cibum mundus deberet minui, per quem desiit augeri. Nemo delictum sciebat, nemo pœnam timebat, timorem nouerat nemo quoadúsque abstinentiæ lex transgrederetur, &c.

Christus itaque qui venerat mundum reficere, per abstinentię transgressionem lapsum, corruptúmque, & minutum de sanctissima Virgine continuo ieiunante nasci voluit, & eius vbere de Cœlo pleno nutriri.

O qualibus & quantis deliciarum Cœlestium imbribus! ac diuinarum prorsus voluptatum affluentiis sanctissima Virgo cœlesti rore Deum infantem pascendo redundaret! Quis hominum etiam & Angelorum dicere poterit?

Illic reuera congeminati corporali ieiunio dies. Ieiunium autem est principium quoddam vitæ beatæ, & vna Paradisi particula: vbi nec comeditur, nec bibitur.

Est vna similitudo hominum cum Angelis, qui sine cibo & potu vitam fœlicissimam ducunt. Vna participatio cœlestis glorię, vbi corpora beata sine fame & siti iugiter incorrupta manent. Vna tandem in Christo Domino transformatio, qui omnia cibans nullo indiget alimento.

Hęc omnia experimento probabat nutriendo Saluatorē sanctissima Virgo; in qua, quod per serpentem esum ligni vetiti suadentem in prima muliere cecidit, per Christum

reparabatur.

Sentiit diabolus, ait sanctus Petrus Chrysologus, ieiuniũ cunctis virtutibus anteferri. Ioannem viderat vrbium delicias, squalentias Eremi habitatione mutasse, mollitiem carnis, vestis asperitate calcasse; aggresti cibo mundi totam frenasse luxuriam, & tamen non eum Dei Filium existimauit, quoniam melle ac locustis vescebatur; at vbi videt Dominum iugiter ieiunantem. Si Filius Dei es, inquit, &c. Ita decuit in Matre Dei congeminatis ieiunio diebus reparationis nostrę initium consecrari. Et quodammodo per ieiunium Mater Dei agnosci debuit, cuius Filius, etiam & Filius Dei per ieiunium ab ipsomet omnis virtutis inimico reputatus est.

Sanctam sanè abstinentiam, sanctissima Virgo tunc sanctissimè coluit, cum lacte de Cœlo expresso pascendo Saluatorem cibo quo vteretur Ecclesia non nouit.

Si ergo per ieiunium & abstinentiam, quis agnoscitur esse Filius Dei per imitationem Christi, quid sentiendum de abstinentię virtute illius quę non solum filia adoptiua, sed & Mater Dei naturalis effecta est? Mater, inquam, non dimidiata, neque partita, aut diuisa; sed integra, & perfecta?

Continuatio, & extensio Capitis.

Regnum Dei, ait Apostolus, non est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. In lactea autem educatione Saluatoris qualibus & quantis gaudiorũ spiritualium affluentiis abundaret piissima Virgo, quantaq; iustitia, & sanctitate excelluerit, satis suprà ostendimus: De pace verò, ipsamet in Canticis sic loquitur; Ego murus, inquit, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Erat sanè plena gaudio, iustitia, hoc est, sanctitate, & pace tunc, cór & caro eius exultabant in Deum viuum Filium suum simul & alumnum. Attrectat Virgo Mater, ait S. Cyprianus, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, &c.

Absconditum est mysterium istud ab his qui terrena, &

carnalia sapiunt; quorum Deus venter est, qui epulantur quotidie splendidè, qui ducunt in bonis dies suos, de quibus tandem dicitur, & in puncto ad inferna descendunt, & adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.

Notandum valdè verbum istud, ira Dei ascendit super eos. Videtur enim iram Dei descendere potiùs quàm ascendere super eos debuisse. Veruntamen vt discamus ipso iræ Dei eodémque Dæmonum ac damnatorũ inferni supplicio edaces, potatores, epulones, & vinolentos puniri, quasi ab ipsis inferni faucibus ira Dei qua diues epulo in inferno sepultus cruciabatur, progrediendo super eos ascendit.

Supplicium hoc magnum est iræ Dei, nec aliud huic simile videtur reperiri.

Ira Dei descendit super homines tempore diluuij, attamen octo animæ saluæ factæ sunt. Ira ipsa descendit super Sodomitas, sed Loth cum vxore & filiabus Virginibus liberatus est, ira quoque ipsa Dei descendit multis plagis super Ægyptum, sed in Ægypto ipso semper populus Israël extitit præseruatus, & sic de multis aliis sentiendum, sed in inferno nulla est redemptio: Et quando ira Dei ascendit, nullus potest euadere.

Exindè nullius ebriosi, gulosi, edacis, & potatoris conuersionem legimus in Scripturis. Noë ebrius semel visus est, sed non ebriosus: Loquimur autem de iis in quibus ex frequentatis actibus generatur habitus.

Magdalenæ peccatricis Mathæi telonarij, Zachæi principis Publicanorum, alterius Publicani peccatoris pœnitentis, mulieris adulteræ, mulieris Samaritanæ, & aliorum quamplurium peccatorum legimus conuersionem, sed non edacis, & epulonis; Immò de diuite epulone, qui epulabatur quotidie splendidè scribitur, factum est vt moreretur diues, & sepultus est in inferno.

Ad hæc, non legimus Christum in societate voracis, gulosi, ebriosi, seu potatoris manducasse, licet sæpius in societate Iudæ proditoris, & de quo habetur, quod fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur, portabat. In societate

Mathæi, Zachæi, Petri, Simonis Leprosi, Pharisæi, de qua dicitur quod rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo, in societate tandem aliorum quamplurium peccatorum, manducauerit, vnde & murmurantes inimici eius diebant hic peccatores recipit & manducat cũ illis, &c.

Reuera non sustinuisset piissimus Saluator insolentiam potatorum, à mensa citò discessisset, & ideò videntur tales penitus à Societate Christi expelli. Non autem à conuiuio eiusdem beatissimi Saluatoris, & â societate sua expellitur, suauissima Virgo Mater, ieiunio sanctâque abstinentiæ virtute consecrata, quæ ipsum eundémque salutis nostræ auctorem, vbere de Cœlo pleno, toto lacteæ educationis eius tempore lactauit, mammauit, pauit, nutriuit, & educauit; quæ, inquam, vt antea diximus, esurientem satiauit, sitibundum potauit, nudum vestiuit, hospitem collegit, &c. quæ eum pectore fouit, sinu gestauit, gremio portauit, osculis affecit, brachiis amplexata est, & tantis ac castissimis blanditiis deliniuit: O beata societas Filij & Matris, Matris & Filij! O sacrum & suauissimum Conuiuium omni dulcedine cœlesti, ac suauitate diuina repletum, in quod Christus Virgineo Virginalium Mariæ semper immaculatæ Virginis lacte pascebatur, & cor Matris suauissimis ipse pascebat deliciis.

Paruulus, ait sanctus Cyprianus, sugens vbera, pura alimonia vtebatur, & fons sacri pectoris defœcatum edulium ori mundissimo infundebat: sed & cor Matris quæ dulcedines quæ omnem superant intellectum, imbuebant: eratque vtrinque mira iocunditas; Cum, & sanctæ Matris humilitas, Sancti Sanctorum immensa benignitas, confœderatis affectibus mergerentur.

* *

*

Conclusio Capitis continuationisque, & extensionis eiusdem.

ITerum pauca de horrendi gulæ & ebrietatis vitij turpitudine dicemus, vt abstinentiæ nitor magis elucescat. Nolite, ait Apostolus, inebriari vino, in quo est luxuria. Loth & si semel, aut bis ebrius legatur; non tamen ebriosus dicitur, sed si vnius horæ, aut duarum horarum ebrietas tantum scelus operata est, vt conciperent duæ filiæ Loth de patre suo, quid de 30. 40. ac quinquaginta annorum ebrietate dicendum? Ebrietas fefellit, ait S. Augustinus, quem Sodoma non decepit, vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vrebat. Et sanctus Hieronym⁹; Noë, inquit, ad vnius horę ebrietatem nudauit fœmora sua, quæ anteà per sexcentos annos contexerat.

Idem item ad Eustochium scribens; Vinum, ait, & adolescentia duplex incendium voluptatis est. Quid oleum flammæ adiicimus? Quid ardenti corpusculo, fomenta ignium administramus? Hęc aduersus adolescentiam prima arma sunt Dæmoniorum. Non sic auaritia quatit, inflat superbia, ambitio delectat, &c.

Et de Alexandro Imperatore, ita Augustinus Alexander omnium victor à vino victus est, dum Clythum occidit, & valde turpe est, vt quem non vicit homo, vincat libido, & obruatur vino, qui non vincitur ferro.

Tandem, Ebriosus, ait, abominatur adeo, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, &c.

Et iterum. Ebriosus, inquit, confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

Cyrilli filius, vt refert S. Augustinus, dum esset ebrius patrem occidit, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare conatus est, alias duas sorores ad mortem vsque vulnerauit. Et hæc aliáque plurima à Patribus & Doctoribus sanctis contra edacitatem, gulámque, & ebrietatem, afferuntur.

Non

Non audes, ait sanctus Ambrosius, cibos veneno infectos in os mittere, audes verò cibos quos ipsa peccati peste inquinas, in viscera traiicere. Non bonus est cibus post quem respuitur Christus, & deuoratur Antichristus. Non, inquam, bonus est cibus post quem negatur Dominus, & ingreditur inimicus, qui benedictione repletur. Scribitur enim post buccellam panis, intrauit Sathanas in Iudam; &c. Ex turpitudine autem, fœditate, & deformitate huius horrendi vitij, pulchritudinem, decorémque, ac splendorem virtutis abstinentiæ coniice. Qua enituit & excelluit lactando maximè & enutriendo Saluatorem, vt supra ostensum est, Virgo Deipara.

De Charitate autem eiusdem sanctissimæ Virginis erga Deum, & de XI. gradibus, quibus ad summam eius perfectionem ascendit Tractatulo I. C. 3.

De charitate item eius erga proximum variis in locis huius Opusculi, sed maximè Tractatulo III. variè tractatur.

De eiusdem denique immaculata puritate, & Virginitate Tractatulo primo, Cap. 14. per totum plurima describuntur, ne quid virtutis alicuius ad eius sanctitatis perfectionem quam temporibus lacteæ educationis Saluatoris coluit, desit. Nunc concludendo, Opusculum ad finem deducamus.

† †

†

Digitized by Google

DE CONVERSIONE PECCATORIS ad Pœnitentiam, & reconciliatione animæ eius ad Deum, meritis sanctissimæ Virginis Deiparæ, in ratione integræ Matris Saluatoris.

CAPVT VLT.

SANCTA MARIA Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ: Amen. Eo tempore, quo impiissimus Nestorius, Virginem Mariam non esse Matrem Dei asserebat, postquam à Sacrosancto Ecclesiæ Catholicæ vniuersali Ephesino Concilio, extitit condemnatus per vniuersalem Ecclesiam magis ac magis in summam, & præcellentissimam Matris Dei dignitatem & prærogatiuam fidelium creuit pietas & deuotio; sed maximè peccatores pœnitentes tanquam ad vnicum salutis præsidium cum omni confidentia ad eiusdem dignitatis virtutem confugere cœperunt, vnde ad salutationem angelicam, addita est deuotissima integræ Matris Dei hæc inuocatio, Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, &c.

In hoc enim maximè commendatur charitas sanctissimæ Virginis, quòd cum per omnia semper absque peccato extiterit, peccatorum singulari pietatis affectu assiduè miseretur. Clarum est autem ex his quæ in omnibus ferè huius Opusculi Tractatulis, & Capitulis scripsimus, hunc misericordiæ suæ affectum erga peccatores Deo reconciliandos in ratione integræ Matris Dei ostendere, vt satis cum de sacris vberibus eius ageremus, apertè declarauimus; vnde Arnulphus Carnotensis: Securum, ait, accessum iam

habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem, Christus nudato latere Patri ostendit latus & vulnera, Maria Christo pectus & vbera, &c. Per vbera autem Nutricis Dei prærogatiua designatur, vt significetur ipsam, non dimidiaram, neque partitam, aut diuisam, sed integram & perfectam Dei Matrem esse, & in ratione integræ Matris Saluatoris eidem pro peccatoribus, vbera quæ pro eisdem suxit, misericorditer exhibere.

Primus autem fructus, seu effectus integræ Matris Dei intercessionis pro peccatoribus ad Deum, est ille, quo diuina sibi assistente gratiâ per piissima Virginis Deiparæ merita peccator ipse peccato moritur. Datur enim in Scripturis mori pro peccato, mori per peccatum, mori in peccato, & mori peccato.

De primo dicitur, Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, &c. Christus ipse solus, pro nobis peccatoribus, & pro peccatis nostris mortuus est.

De secundo habetur, anima quæ peccauerit, ipsa morietur: moritur namque anima per peccatum.

De tertio scribitur, in peccato vestro moriemini; Dixi vobis quia moriemini in peccatis vestris, &c.

De quarto tandem, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus, &c. Peccato autem mori, est ad illud nunquam redire peccataque prima nunquam reassumere, sed illa omnimodè relinquere. Et hæc est prima gratia, primúsque gratiæ meritis integræ Matris Dei erga peccatorē effectus.

Secundus autem est, non solum effectu peccata relinquere, itavt nunquam ad illa redeatur, sed etiam illa affectu penitus abiicere, id est, tali odio habere, vt ne quidem eorum minima cogitatio possit in posterum animæ pœnitenti delectationem afferre. Sunt námque plurimi qui effectu quandóque, sed non affectu peccata áspernantur.

Indè Christus; Væ, inquit, prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, quod, non de mulieribus intelligi plurimi volunt quandoquidem bonæ & optimæ mulieres debēt se prægnantes custodire, & filios suos nutrire, sed de ani-

Digitized by Google

mabus peccatorum ſemper affectum peccati, & voluntatem peccandi, aut delectationem eiuſdem peccati retinentibus, quibus anima delectatur, & repletur, quibuſque grauida dicitur; nutrixque reputatur, quando per plures dies, menſéſque & annos retinet, & ſeruat affectum eorum quæ iam antea reiecit, de quibus pſaltes, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni viæ non bonæ; Malitiam autem non odiuit, &c. E contrario de Petro dicitur.

Petrus, ait Scriptura, egreſſus foras, fleuit amarè: datur enim egredi ſimpliciter & foras egredi. Plurimi namque egrediuntur effectiuè, peccata relinquentes, ſed nō affectiuè affectum retinentes. Egredi verò foras eſt vtrumque agere, vt ſcilicet effectu peccata abiiciantur, & affectu odio habeantur.

O quot ſunt, heu! heu! qui pro tempore effectu peccata ſua relinquunt, ſed nunquam affectu; nec etiam vero effectu dum iterum ad illa reuertuntur.

Aſſimilantur coruis illis in tempore hyemis albis propter niuem ſuper illos cadentem, ſed primo volatu niuem excutientes nigri vt antea reperientur, ſic plurimi huius farinæ homines, albi in tempore Paſchali, vel Iubilei, & Indulgentiarum, & tandem ad peccata redeuntes, denigratur anima illorum ſuper carbones.

Quot ſunt, inquam, qui aliquando confitentes peccata ſua, dant gloriam Deo, cantantes verſiculum iſtum; Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto. Sed paulò poſt per relapſum ab eis cantatur, Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, &c.

Pro tempore ſunt vt peregrini, & viatores qui in via ſua foſſam aquis plenam reperientes, ſarcinam abiiciunt ac in alteram partem iaciunt vt exonerati, leuius, & facilius, ſaltu, in ipſam partem alteram tranſeant, quò, vbi peruenerunt ſubito ſarcinam reaſſumunt, ac ceptum iter ſuum peragunt, ita illi quandóque, ſi occurrat in via feſtum Paſchatis aut aliud ſolemne, ſarcina peccatorum exonerantur ſacramentali Confeſſione, ſed tranſacta ſolemnitate iterum ad peccata redeunt, & fiunt, vt ait Chriſtus, nouiſſima il-

lorum peiora prioribus. O, sarcinarij infœlices, &c.

Mihi veniunt in mentem milites bachanalium seu cursores, qui paulò ante quadragesimam, in publico bachantur: Videntur enim aliquando inimici adinuicem qui omnes laruati, armis præliantur, & vnusquisque alteri dimicationem denunciat; sed cum arma illorum sint ex chárta variè in colorem ferri depicta, cito franguntur. Et tandem, ablato laruatu, mutuis amplexibus se amicissimos esse ostendũt. Plures sic, tempore Paschali, & maximè in maiori hebdomada, ieiuniis, eleemosynis, ciliciis, lachrymis, & orationibus, ac Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentorum receptione, videntur carni suæ, Diabolo, & peccatis suis irreconciliabile bellum denunciasse; sed transacto festo, pristinam amicitiam cum inimicis salutis suæ renouare, ac interrupta contexere, toto conatu contendunt, & tandem in peccatis morientes pereunt.

Maxima ergò sanctissimę Virginis Deiparę misericordia erga peccatores plurimos relucet, in hoc maximè, quod à Deo meritis suis, in ratione integræ Matris Saluatoris, vberum suorum ostensione, ab eis & effectum peccati, & affectum peccandi tollit. Hoc est, precibus ipsa facit vt effectu non amplius peccent, & affectu ita à peccato remoueantur, vt perfecto illud odio habeant.

Continuatio, & extensio Capitis.

TErtius integrę Matris Dei intercessionis effectus erga peccatores est non tantum declinare à malo, sed etiam facere bonum. Hoc est, non solum effectu, & affectu peccata relinquere, & abhorrere, & ita omnimodè mori peccato; Verum quoque, veram pœnitentiam per bona opera pœnitentialia agere, vt sunt ieiunia, castigatio carnis, peregrinationes, sensuum & passionum mortificationes, &c. Sunt namque plerique qui pœnitentiam egisse leguntur, sed cum ipsa sua pœnitentia reprobi, & damnati inueniuntur.

Cum apprehendisset Antiochum Regem dirus dolor viscerum, & amara internorum tormenta, contigit illum impœ-

tinentem, de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari, &c. Ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, & fœtore illius exercitus grauaretur. Diuina autem admonitus plaga cœpit ad agnitionem sui, ex superbia deductus deuenire, &c.

Tunc ait, iustum est subditum esse Deo, & hominem Deo paria non sentire, &c. 1. Ergo Ciuitatem sanctam optabat liberam reddere. 2. Iudęos æquales Atheniensibus facturum pollicetur. 3. Templum sanctum quod expoliauerat optimis donis ornaturum. 4. Sancta vasa multiplicaturum. 5. Pertinentes ad sacrificia sumptus, de redditibus suis præstiturum. 6. Super hæc & ide se facturum. 7. Omnémque terræ locum perambulaturum, & potestatem Dei prædicaturum. Sed, hæc pœnitentia Deo non placuit: Vnde concludit Scriptura. Orabat, ait, hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus, &c. Nimium sera, & ideò Deo exosa fuit hæc pœnitentia, peccata erant in ipso mortua, & non ipse peccatis. De tali statu, ait Augustinus, pœnitentiam dare possum securitatem dare non possum, &c. Defuit illi velle cum adesset, deest ergo iusto Dei iudicio posse cum velle adest. Oza tenuit arcam, sed tantum quando cadebat, plures sic, quando cadit corpus per mortem, de animæ salute cogitant. Percussit illum Dominus, &c.

Cum fletu & lachrymis Ezau quæsiuit locum pœnitentiæ, & non inuenit, & reprobatus est, quia cum lachrymis suis pœnitentialibus in corde fratrem odio habebat; Dicebat enim in corde, venient dies luctus Patris, & interficiam fratrem meum Iacob; &c.

Pro pœnitentia dicitur ad Cain; Maledictus eris super terram, maledictio hæc erat tantum temporalis, vagus & profugus eris super eam, &c. Hanc adimpleuit pœnitentiam, & tamen non illi profuit ad salutem. Propter desperationem, cum ait; Maior est iniquias mea quam vt veniam merear, &c. Temporales ergo maledictiones, & peregrinationes non prosunt desperâtis, sed corde contritis, & verè pœnitentibus, de quibus, quidam auctor: si vnus hominum

Digitized by Google

à primo vſque ad nouiſſimum omnia peccata perpetraſſet, & ille pro tempore deſperaſſet, & Deus illi veniam denegare iuraſſet; ille vero corde contritus à Deo veniam peteret, Deus periurus illi veniam daret: Nouit enim Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum, &c.

Iudas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens; Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, ſed hæc pœnitentia licet contritione cordis, confeſſione oris, & reſtitutione operis conſtaret, nihil valuit. Quia deſperatus interiit, laqueo enim ſe ſuſpendit, & ſuſpenſus crepuit medius & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Eius confeſſio vnius erat peccati, & non aliorum; murmurauerat enim contra Magdalenam caput & pedes Chriſti vngentem, fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur, portabat, multiſque aliis erat vitiis irretitus de quibus in confeſſione tacuit. In peccato mortali corpus Chriſti in Cœna accepit, & cum propriis lachrymis Chriſtus eius pedes lauaret à corde duritiam malitiæ ſuæ non depoſuit; ideò damnationem æternã incurrit.

Pœnitentia itaque mala non liberat hominem à damnatione, ſed bona ſola, qualis extitit pœnitentia Petri qui egreſſus foras fleuit amare, vt ſuprà explicauimus. Qualis quoque pœnitentia ſanctæ Magdalenę de qua pauca nunc referenda veniunt. Videtur enim in quibuſdam pœnitentiã Petri pœnitentis ſuperaſſe.

Primò, quia Petrus, cum in publico, & coram omnibus peccaſſet negans ſe Chriſtum nouiſſe; verumtamen quaſi non auderet palàm & publicè flere; dicitur de eo, quod egreſſus foras fleuit; ſed ſancta Magdalena, in ciuitate peccatrix, non foras tantùm, ſed etiam in ciuitate fleuit. Irruit conuiuio, & inter epulas lachrymas fudit.

De Petro refertur, quod ſingulis noctibus ad cantum Galli, flebat amare, flebat inter tenebras, flebat tempore noctis, & dum eſſet ſolus. Magdalena vero fleuit in die fleuit coram conniuentibus; fleuit, inquam non in abſcondito tenebrarum, ſed ante conſpectum ſolis.

Petri denique lachrymæ pœnitentiales quidem extitere ſed lachrymæ pœnitentis Magdalenæ etiam ita tactu ſacra-

tissimæ humanitatis Christi consecratæ sunt, vt si qua in Ecclesia haberetur, ab ipso pedum Saluatoris contactu velut pretiosa reliquia singulari honore à fidelibus veneraretur.

Carnem, ait sanctus Petrus Chrysologus pro carne, & sanguinem pro sanguine repone. Pro in ara Crucis fuso, fusum in rubore confessionis effusionem sanguinis Christi in Cruce quodammodo compensare; in rubore enim confessionis ex verecundia, sanguis ad vultum pœnitentis ascendit, quo & eius rubra, seu rubicunda facies cernitur. Ergo non mirum si Magdalenæ peccata tanta remittuntur, quæ præ verecundia retro secus pedes Domini stetit, fleuit, & antequam Christi sanguis funderetur in mysterio passionis, iam sanguinē pro sanguine reposuit in rubore Confessionis.

Propter hoc quibusdam prærogatiuis à Domino super Petrum decorata cernitur. Nam Apostolorum etiam & Petri extitit Apostolatrix, Prædicatorúmque Prædicatrix, & in missione eius si attentè consideretur, terminus à quo, missionem Petri, & aliorum exæquauit: nam ab eodem Christo à quo & Apostoli missi sunt, & ipsa mittitur, sed in excellentia termini ad quem, videntur illā superasse Apostoli, etenim missi sunt ad Iudęos vel ad gentes, sed ad ipsos Christi Apostolos ipsa mittitur, &c.

Si id quod dictum est in extensione Capitis IV. cum de humilitate Virginis Deiparæ ageremus, præponderatur, de excellentia humanitatis Christi, vt instrumentum diuinitatis; Qua & gloriosiora extitisse opera Dei post incarnationem quam antea probauimus, missio Magdalenæ, Baptistæ missioni, qui fuit homo missus à Deo, quodammodo pręponetur, quoad vtrumque terminum, & à quo, & ad quem.

Mirabilis reuera Deus in sanctis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui peccatoribus pœnitentibus tanta gratiarum dona largire dignatur: Inde Ioannes Baptista tam sanctus in Baptismo, Christi eius caput tangere non est ausus: à te, inquit, debeo baptisari, & tu venis ad me? Magdalena verò & caput, & pedes tangere non timet, vngere & deosculari.

Petrus dicebat Christo: recede à me, quia homo peccator sum

ſum Domine; Magdalena verò, complexatos pedes tenet ne recedat, dicens; Tenui eum nec dimittam, &c.

Quemadmodum ergo Crux lignea, licet ſit ex ligno nodoſo, antiquo, & putrido, quæ gemmis, margaritis, adamantibus, & aliis innumeris lapidibus pretioſis tecta, & ornata eſt in ratione æſtimationis diuitiarum Craci argenteæ & aureæ ſimpliciter præponitur; ſic propter lachrymas & ſanguinis pretioſiſſimi guttas quas fudit Chriſtus pro peccatoribus, de quibus aiebat, non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, &c. Sępè iuſtis præponuntur peccatores pœnitentes.

Exindè dicebat iſdem Saluator piiſſimus, gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Sic eligitur ex pluribus in ludo pilæ palmariæ, pila quæ terram tangens velociori impetu in aërem conſurgit peccator namque per ſaltum & impetum velocem ardentis amoris ac feruentis pœnitentiæ poſt lapſum in aërem gratiæ diuinæ conſurgens fit electus Dei, quo plurimi alij poſtea lucrantur, & ad pœnitentiam conuertuntur, vt in Petro, Paulo, Magdalena, & aliis patet.

Tandem Petrus ipſe ante paſſionem aliquando peccauit, iactantia, &c. Peccauit quoque relinquendo Chriſtum in horto, quando omnes relicto eo fugerunt, peccauit negando ipſum, &c. Et hic videtur quod non erat mortuus peccato; peccauit namque iterum poſt reſurrectionem quando exiſtimauit deliramentum quod à Magdalena dicebatur, annunciante reſurrectionem ipſam: Sed numquam rediit ad peccata Magdalena, poſtquam ſemel fleuit, & veniam obtinuit; mortua enim peccatis, iuſtitiæ vixit, &c.

Plures autem Auctores tenent, & verbis, & precibus, ac meritis ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ Magdalenam ad Chriſtum vocatam, & conuerſam, in cuius pœnitentia & conuerſione reperiuntur theſauri eiuſdem Virginis ſanctiſſimæ meritorum in ratione non dimidiatæ, ſed integræ & perfectiſſimæ Matris Saluatoris. Vt iterum in concluſione huius Capituli clarius demonſtrabitur.

Digitized by Google

Conclusio Capitis continuationisque, & extensionis eiusdem.

ARcam testamenti, & fœderis Domini animalia deferebant, eleuantes eam, & portantes super plaustrum; hæc autem in figuris contingebant: per animalia enim peccatores designantur, & per arcam Virgo Deipara. Itaque ob gratiam quam iugiter meritis eiusdem Virginis sanctissimæ à Deo recipiunt peccatores, meritò illam omnibus laudum præconiis extollere, eleuare, & efferre contendunt.

Hæc autem est singularissima inter cæteras gratias, quâ cum essent aliquando tenebræ, nunc lux in Domino. Quâ, inquam, Virginis Deiparæ meritis Deus vocauit eos de tenebris in admirabile lumen suum. Vnde vocatur gratia hæc vocationis omnimodè admirabilis. Nam inter vocationes, seu omnia vocationum genera, quæ in Scripturis commemorantur, Deus in hoc peculiari genere admirabilis cernitur.

A nihilo ad simplex esse naturæ vomuit Deus omnia in creatione, vbi suam patefecit omnipotentiam. De qua Apostolus, vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Deinde ab esse naturæ simpliciter ad esse gratiæ, verbi gratia in baptismate, vocauit vocatione specialissima Christianos: vnde Petrus. Vocauit nos propria gloria, & virtute, &c. Insuper ab esse gratiæ sub lege ad Apostolatum illos vocauit, sicut & sæpius ad Episcopatum aliquos, alios ad statum Religionis vocat, &c.

Rursus, à statu gratiæ perfectionis huius viæ ad gloriam vocat amicos suos electos, iuxta illud, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis à constitutione mundi paratum. Sed hæc mutatio dexteræ excelsi qua hominem à statu gratiæ perditæ per peccatum, ad statum gratiæ recuperatæ per pœnitentiam vocat: Et qui renuit pœnitentiam agere, condemnabitur; Dicitur enim vocaui & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

Hæc inquam mutatio dexteræ excelsi, gratia ista singularis, ideò summopere diligenda est, & ei citò cooperandum, vt Paulus, Magdalena, & latro in Cruce, cui citò ignoscit Christus, quia citò conuersus est, non fuit extrema hora illa conuersionis latronis; sed prima, hora prima, non 3. nec 6. nec 9. conuersus est, vnde Eusebius Emissenus, nec salutis tempore sciens distulit, nec remedia status sui in momenta vltima infœlici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis nouissimum reseruauit, nec Religionem ante, nec Christum sciuit, & antequam corpore moreretur, Spiritu Iustitiæ vixit.

Multi gratiam hanc in morte quęrunt, & minimè inueniunt, vt dictum est de Antiocho, tangunt arcam vt Oza dum cadit; Oza autem erat Leuites qui debebat semper stare iuxta arcam, & eam tenere ne caderet, & ne moueretur, sed heu dum vult illam attingere, percussit illum Dominus super temeritate sua, & mortuus est. O temeritas maxima expectare vsque ad extrema vitæ ad agendum pœnitentiam, & tunc gratiam conuersionis querere; Vocaui, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo. Nunquid vos estis qui contempsistis me? &c. Nunc autem necessitate compulsi venistis ad me, aiebat Iephte.

Quinque fatuæ Virgines, fecerunt quod in se erat, & tamen non inuenerunt gratiam hanc, licet dicatur, quod facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Non habebant oleum, citò perrexerunt ad vendentes, & emerunt, lampades suas impleuerunt, accenderunt, reuersæ sunt, pulsauerunt ad ianuam, clamauerunt dicentes; Domine, Domine, aperi nobis, & tamen clausa ianua nunquam apertà est eis, sed in æternum clausa mansit, & durissimum æternæ damnationis responsum acceperunt à Christo.

Nescio vos. Quia reuera opportunum tempus despexerunt, & eo tempore quo paratæ debuerant esse, nihil apud se quo sponsus reciperetur, habuerunt; O quam pessima mors peccatorum gratiam & pœnitentiam, ac misericordiam in morte quærentium!

Pretiosa verò in conspectu Domini, mors sanctorum eius.

Digitized by Google

Fructus tempore Hyemis in arboribus nihil valent, sed in Autumno maturi ex arbore cadentes se transeuntibus offerunt, & colliguntur optimi. Ita sancti illi qui mortui sunt senes & pleni dierum, qui in gratia vixerunt, vt cum Apostolo dicerent, gratia Dei in me vacua non fit, sed semper in me manet, Cursum consummaui, &c. Reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Vt fructus maturi à Domino colliguntur. & hæc est preciosa Patriarcharum, & Prophetarum mors, verbi gratia, Moysis, Abraham, Isaac, Iacob, &c.

Quemadmodum infans, transacto nono mense, ex vtero Matris egredi desiderat vt vita hac ac luce fruatur, sic sancti, & maximè Apostoli qui in vtero sanctæ Matris Ecclesiæ vsque ad mortem in gratia vixerunt, tempore mortis luce ac vita æterna ardentissimo desiderio perfrui, & à sæculo migrare desiderant: Vnde Paulus, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius ? Cupio dissolui & esse cum Christo, &c.

Sancti quoque Martyres in morte, Christum pro quo pati digni inuenti sunt, in altera parte fluminis huius vitæ, quod crucis nauicula in passione transiuit sequentes, mortalis vitæ licet tempestatibus agitati, validè cuncta perferunt, vt tandem ad illum perueniant. Sicut canis qui flumen fortiter transit vt ad dominum suum perueniat, ad quem cum peruenerit cordis gaudia innumeris saltibus testari conatur: ô quibus gaudiis, osculis, & amplexibus à Christo excipiantur illi post transitum huius vitæ, quis enarrare poterit?

Alij, vt agnus qui tota die Matrem expectauit, è pascuis reuertentem audiens, è stabulo egredi desiderat, & aperta velocissimo impetu ad vbera pergit. Ita sancti Confessores, qui in statu pœnitentiæ, gratiæ cooperantes vixerunt, in morte Christum desiderant, toto desiderio ad supernam patriam anhelant, & per mortem temporalem aperta æternitatis ianua, ad sinum Saluatoris velut ad vbera in æternum satiandi rapiuntur.

Alij tandem tanto amoris excessu, tantáque gratiarum affluentia imbuuntur, quod, præ gaudio adueniente sponso deficiunt, vt Virgines sanctissimæ, & Virgo Virginum præ-

Digitized by Google

clara Deipara. Sunt namque plurimi, qui pro Christo mortui sunt, & pro amore eius vitam profuderunt, vt Martyres, alij non pro amore, sed per amorem vulnerati interierunt, vt Seraphicus Pater sanctus Franciscus, sancta Clara de Montefalco, &c. alij in amore, hoc est in gratia vt fideles electi, &c. Cæteri tandem amore ipso, id est, amoris languore, & suauitate defecerunt, vt Deipara, &c. O quam preciosa in conspectu Domini mors sanctorum istorum! Mors autem peccatorum pessima: Sed sancti pœnitentes meritis integræ Matris Dei adiuti in morte, sicut in vita sua eius auxiliis ad gratiam, & pœnitentiam peruenerunt, ad æternitatem tanquam ad hæreditatem, & certum patrimonium tendunt; ait enim Christus, non veni vocare iustos, sed peccatores, venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat; Venite benedicti, possidete, &c.

FINIS.



AD SANCTISSIMAM VIRGINEM DEIPARAM PRO CONCLVSIONE HVIVS TRACTATVLI.

ORATIO.

SIT ergo (VIRGO SANCTISSIMA) per te gaudium Angelis Dei super pœnitentibus pœnitentiam agentibus, vt qui peccatis mortuis Iustitiæ vixerunt, æternitatis illis aditus pateat, ego ipse vilissimus peccatorum ad te confugio, Christus Iesus Filius tuus Dominus noster venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum. Sed venit in hunc mundum per te, ex te, & à te, illum habemus Saluatorem, vnde & salutis nostræ ianua, & spei nostræ anchora tutissima tu es. Itaque cum munusculi manipulo meo, & cum exultatione ad te iuuandus, tuendus, recipiendus, ac saluandus venio.

Accipe igitur, vt cum Diuo Augustino loquar, quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas meas orando excusa. Admitte

Digitized by Google

preces meas intra sacrarium exauditionis, & reporta mihi maximo peccatori antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingessi: fiat impetrabile quod fida mente posco. Accipe quod offero, redona quod rogo, excusa quod timeo, quia, vt dixi, tu es spes vnica peccatorum, & per te spero veniam delictorum: ac in te beatissima, meorum est expectatio præmiorum. A fine vsque ad finem æterna sapientia, fortiter suauiterque disponens omnia, per te ad finem quoque & Tractatulum & Opusculum fœlici consummatione deduxit: Tibi ergo, & iterum, hoc totum quidquid est, voueo, do, dico, seu potius, benignè, liberaliter, gratis datum, creditum, depositum, quocumque nomine qua possum lubens meritò fideliter reddo, restituo, consecro, hoc supremis exoptans votis, vt sanctorum seruorum tuorum, qui summam & integram maternitatem tuam coluere, vestigiis haud dispari passu insistens in hac vita, cum illis per te in æterna benedicto filio tuo Domino nostro Iesu Christo perfrui valeam. Amen. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google